A. Gr. b.
1779.

Schlichthorst
(Herodotus)

A. gr. b. 1779
433

Auct. Gr. Vet. 42. p. 194.

Digitized by Google

HERMANNI SCHLICHTHORST

BREMENSIS

INSTITVTI REGII HISTORICI GOTTINGENSIS

ASSESSORIS

GEOGRAPHIA AFRICAE HERODOTEA

Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.

GOTTINGAE
SVMTIBVS VANDENHOECKIANIS ET RVPRECHTII
1788.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRO

PLVRIMVM REVERENDO ET DOCTISSIMO

IOANNI DAVIDI NICOLAI

AD AEDEM CATHEDRALEM,
QVAE BREMAE EST, VERBI DIVINI
MINISTRO, SCHOLAEQVE
REGIAE EPHORO

AFFINI SVO

LIBRVM HVNCCE

SACRVM FACIT

AVCTOR.

by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

CHR. G. HEYNII.

Mirum videri poteſt, me potiſſimum ad commendandam hanc commentationem prodire, cum ipſe inter iudices ſederim, qui alii commentationi ſuper quaeſtione propoſita primas detulerunt. Quod quidem nolim quemquam ita interpretari, vt in me transferre velit notum illud, quaſi victrix cauſſa diis placuerit, victa Catoni. Immo vero ſententiam tuli cum aliis, non ſecundum alios. Verum in certamine iudicium faciendum eſt ſecundum ea. quae in quaeſtione propoſita ſunt; contra in ſcriptione aliqua eſſe poſſunt multa, quae probes ac commendes, etſi illud, de quo quaerebatur, expeditum ſit ab aliis diligentius. Argumentum quidem, quod commentationis huius auctor, litterarum graecarum et latinarum copiis praeclare inſtructus, tractauit, ita eſt comparatum, vt, qno plures in eo verſati fuerint, et quo plus operae in illud collatum fuerit, eo magis illuſtratum et enuclea-

tum illud esse necesse sit. Ea enim rerum priscae memoriae est natura et indoles, cum eae aut e multis diuersorum scriptorum locis, interdum ex obscuris vestigiis, aut ex vno vel altero scriptore, qui suis popularibus, non nobis illa scribebat, sint eruendae, vt, vbi plures ad perspiciendam et inuestigandam rem propositam accesserint, non facile sit aliquis, qui non aut comparando diuersa aut disiungendo similia expiscetur aliquid, quod ceteros eidem rei intentos fugerit. Idem euenisse videbit lector in commentationibus super quaestione proposita scriptis; habebitque vtilitatem earum comparatio, siue ad iuniorum studia, si quidem eamdem rem a diuersis diuersimode traditam et explicatam cognouerint, et in causas, cur altera alteri praelata fuerit commentatio, inquirendo iudicium suum acuerint, siue inter doctiores, dum ipsi comparationem inter scripta illa faciendo arbitrium ferent, et iudicium publice factum ipsi ad suum iudicium exigent.

Equidem officio meo satisfacere volui hactenus, vt iuuenem ingenuae et erectae indolis, et cum aliarum, tum antiquarum litterarum scientia bene imbutum, earumque tradendarum studio incensum, nuncque hac Musarum sede relicta ex vmbra in palaestram studia sua efferentem, iis commendem, quorum interesse potest, vt iudicio suo, quod ipsi facturi sunt, praeiudicium iam ab alio factum ante oculos positum habeant.

LECTV-

Digitized by Google

LECTVRIS

SALVTEM ET OFFICIA

HERMANNVS SCHLICHTHORST.

Geographia Africae Herodotea, h. e. *notitia Africae geographica ex Herodoto conſtituta, ita vt populi ac regiones ab eo commemoratae probabiliter geographico more finiantur ac deſcribantur; adiunctis ex aliis ſcriptoribus non niſi iis, quae ad illuſtrationem facere poſſunt; Aegypti ſummatim tantum ratione habita.*„

Ita quidem *quaeſtio ordinaria* *) ab *Illuſtri Philoſophorum Ordine* civibus de praemio Regis auguſtiſſimi munificentia conſtituto certaturis in annum LXXXVIII. propoſita. Me quidem, cum ad conſcribendam *Geographiam Africae Herodoteam* accedere apud animum conſtituiſſem, minime latebant difficultates, hunc qualemcunque libellum ſcripturo obuiae, quae tantae ſunt, vt non niſi ab iis proſpere poſſint ſuperari, qui in ſoluendis omnis generis nodis, in Geographiae

 nime

*) Propoſita erat ab eodem Ordine in eumdem annum alia *extraordinaria* de *fabuloſa Argonautarum Geographia*.

Digitized by Google

antiquae purgandae ſtudio occurrentibus, diu multumque ſudarunt. Attamen hunc in me ſuſcepi laborem, cum propoſita eſſet quaeſtio nobis literarum ſtudioſis, a quibus *Bonos* omnes in primis *Illuſtrem Academiae noſtrae Philoſophorum Ordinem* non id exſpectaturum perſuaſum mihi habeo, quod virium noſtrarum modulum ſuperat, nec niſi a viris doctrina et eruditione longe celeberrimis praeſtari poteſt. Et licet virium mearum imbecillitatis probe memor eſſem, cum ad hanc *notitiam Africae Geographicam ex Herodoto conſtituendam* animum appellerem, mearum tamen partium duxi, vt pro virium tenuitate Regis Optimi inſtitutum tuerer, quo omnes, quotquot in Academia ſua literarum cauſſa verſantur, ad praeclara quaeuis audenda ante aliquod annos prouocare coepit. Praeterea cum Bibliotheca Academica, et quorumdam Virorum doctorum humanitas libros mihi ſuppeditarent ſubſidiarios, cumque horis ſubſeciuis aliqua reſeruanda eſſet occupatio, denique cum laudis ſtudium Optimum quemque trahat, nec vlla difficultas tanta ſit, quae non aliqua ex parte ſuperari poſſit: conſilium de conſcribendo hoc qualicumque libello mutare dubitaui.

Habetis hic, Lectores, cauſſas rationesque, quibus ad conſcribendum, quem quibusdam in locis emendatum Veſtro iudicio nunc ſubmitto, libellum adduci me paſſus ſum.

Iam vero ante omnia neceſſe eſt, vt cauſſas afferam, quae me impulerunt, ad eum ordinem, quem in rebus tractandis ſeruaui, maxime probandum. Ordinem enim Geographis probatum,

Digitized by Google

tum, qui ab Occidente in Orientem tendunt, me laesisse perspicitur, ita, vt inuerso ordine ab Oriente sumto initio Libyam permearem. Illum autem reliqui, hunc sequutus sum ordinem ab ipso *Herodoto* ductus, qui in loco classico, Lib IV. cap. 168. seqq. in quo Libyae faciem declarat, descriptionem suam ita instituit, vt a finibus Aegypti initio facto Africam permearet Praeterea, qui in depingenda *Geographia Africae Herodotea*, neglecto ordine Geographis probato, ab Oriente iter faciendum incipit, a minus obscuris ad obscuriora lectores deducit. Libyae enim oram maritimam, mari mediterraneo obuersam, quae Auctori nostro potissimum innotuit, ab Aegypti finibus vsque ad Carthaginem diligenter depingit *Herodotus*; de reliqua eius parte vsque ad columnas autem non nisi *locum anonymum*, et *promontorium Soloenta*, quod falsе adeo terminum Libyae occidentalem credit, ipsi commemoratum esse deprehendimus. Cum igitur duae rationes, a aeque haud contemnendae, memet impellerent, vt ab Oriente in Occidentem Africam permearem, non potui, quin in fronte libri mei Aegypti descriptionem ponerem. Ab Aegypto igitur initio facto ad Libyam progressus sum depingendam eo ordine, quo vsus est ipse *Herodotus* lib. IV. cap. 168. seqq. In fine commentationis Aethiopiam subieci, omnemque libellum in duas diuisi sectiones, quarum priori Aegyptus describitur, posteriori Libya reliqua. Accurationem earum conspectum ipsis singulis sectionibus praefixi.

Cum vero expressis verbis iusserit *Illustris Philosophorum Ordo*, in primis longe celeberri-

mus argumenti Auctor, HEYNIVS, de regio praemio certaturis *Aegypti ſummatim tantum habendam eſſe rationem*, huic clauſulae, vt potui, ſatisfacere ſtudii. Rationes, quibus ad iſtam clauſulam quaeſtioni ſubiiciendam induci ſe paſſus ſit *Illuſtris Ordo* hic nihil attinet inueſtigare. Quod vero obitur dictum ſit, in cauſſa eſſe videtur Aegypti deſcriptionum multitudo, quarum oneri officinae noſtrae librariae paene ſuccumbunt. Ad illum igitur finem, quem ſpectabat quaeſtionis Auctor, obtinendum! quaecunque de Aegypti nomine, finibus, magnitudine, flumine, paludibus, diuiſione, populis, montibus, vrbibus oppidisque ab *Herodoto* commemorata ſunt, diligenter, et, vt ego quidem exiſtimo, plene collegi, inſtituta tantum cum *Diodoro Siculo* comparatione, et adiunctis ex ſcriptoribus aliis, in primis ex *Itinerariis recentioris aeui*, et ex *deſcriptione Aegypti* D'*Anvilliana* non niſi iis, quae ſcitu maxime neceſſaria ſunt ei, qui hodiernam Aegypti faciem cum ea, qualis fuit *Herodoti* aetate, comparare animum induxit. Hoc modo librum hnnc meum exiſtimanti, non alienam ab hac *Aegypti Herodoteae* deſcriptione eſſe apparebit nominum recenſionem, quae praeſertim vrbibus oppidisque recentiori maxime aetate impoſita ſunt. Hebraica quarumdam vrbium nomina, quae *Herodoteis* reſpondent, ſane non adieciſſem, niſi perſuaſum mihi haberem, illam comparationem non omni vtilitate eſſe deſtitutam; duces etiam hac in re habeo omnes, quotquot Aegypti Geographiam attigerunt. Recentiora nomina, eaque arabica, latinis literis expreſſi, et ne forte in ſcribendo

hoc

hoc vel illo nomine a vera ſcriptura aberrarem; et, ne alieno loco eruditionem iactaturus viderer. Breuitati tamen in *depingenda Aegypto Herodotea* vbique ſtudui, ſalua tamen perſpicuitate et congruentia quoad ea, quae ne nudam nominum recenſionem exhiberem, ex ipſo *Herodoto*, interdum et ex *Diodoro* aliisque adiicienda eſſe iudicaui. Prolixius quaecunque de *Geographia Aegypti* in *Herodoto* occurrunt, expoſuerunt *d'Anville* *) et *Larcherius* **), Viri celeberrimi. In videndis autem et emendandis erroribus, qui in ſcriptis doctiſſimorum horum Virorum paſſim occurrunt, in primis in opere *d'Anvillii*, alia atque alia ſecundum opinionis alicuius commentum (nos hypotheſin appellamus) exiſtimantis, ſaepius dux mihi fuit Vir longe celeberrimus, GATTERERVS, praeceptor meus pie deuenerandus, in critica libri illius *d'Anvilliani* recenſione, quae legitur in libro, inſcripto: *Allgemeine hiſtoriſche Bibliotheck von Mittgliedern des Königlichen Inſtituts der hiſtoriſchen Wiſſenſchafften zu Goettingen*, Tom. XI. pag. 27 - 130.

Omnem materiam, quam ad conſtituendam ex *Herodoto notitiam Aegypti geographicam* congeſſi, ita diſpoſui, vt tantum non penitus ordinem

*) Memoires ſur l'Egypte ancienne et moderne. Paris 1766. 4.

**) Hiſtoire d'Herodote, traduite du Grec, avec des remarques hiſtoriques eſt critiques, un Eſſai ſur la Chronologie d'Herodote et une Table Geographique. Paris 1786. Tom. I - VII. De Aegypto agitur in primis Tom. II. et in indice Geographico, ſeu Tom. VII.

Digitized by Google

nem, *d'Anvilliio* probatum, ſequutus ſim. Quod quidem neceſſe erat, cum in poſitione quarumdam vrbium ab erudito hoc ſcriptore recedendum mihi eſſet. Vrbium autem oppidorumque recenſum, vt verbo dicam ita inſtitui, vt a locis maritimis ad mediterranea, a ſeptentrione ad meridiem pergerem, id quod *d'Anvillium* in Aegypti inferioris deſcriptione neglexiſſe appareret; certum enim ordinem, quem in enumerandis Aegypti inferioris locis ſequatur, non habet. Denique in recenſendis vrbibus et oppidis, Aegypti in nomos diuiſionem, quam nonnulli ſcriptores ſequuti ſunt, reſpui, quippe quae nimis incerta eſt. Vt enim taceam, alium nomorum numerum commemorari a *Diodoro*, (lib. I. pag. 50. f. pag. 35. A.) et *Strabone*, (lib. XVII. pag. 787. c.) alium a *Plinio*, (Hiſtor. Nat. lib XXXVI. cap. 13.) alium a *Ptolemaeo*, (lib. IV. cap. 5.) alium denique ab ipſo *Herodoto*: (lib. II. cap. 165. 166.) iſta diuiſio hac quoque de cauſſa fugienda erat, quoniam *Herodotus*, cuius *Aegypti Geographia* mihi conſcribenda erat nonnullos nomos commemorat, quorum incerta eſt poſitio, et vero omnes omnino Heptanomidis et Thebaidis, vno verbo, Aegypti ſuperioris nomos ſilentio praetermiſit.

Quae de aeris temperie in Aegypto, de bonis Aegyptiacae terrae, et de praecipuis quibusdam Aegyptiorum moribus atque inſtitutis in HERODOTO occurrunt, ea de cauſſa ſtrictim attigi et ipſi *Aegypti Herodoteae deſcriptioni* ſubieci, quoniam ea omnia e variis Auctoris noſtri locis colligenda erant. Cum vero *Herodotus* Libyum mores ipſis ſingulis in locis exponat, in qui-

Digitized by Google

quibus ſingularium Libyae gentium deſcriptionem dedit, adeoque noſcendi cupidus eos facili negotio addiſcere poſſit, hac ipſa ratione inductus, ne praeter rem longus eſſem, Libyum mores et id genus alia, quae ad Libyes pertinent, omnino fere praeteriui. Horum vero nonnulla in ipſo libelli ſectione altera occurrunt, alia Opuſculi huius delineationi inſerui.

Ad conſcribendam autem hanc *Africae Herodoteae Geographiam* his potiſſimum libris ſubſidiariis vſus ſum:

HERODOTI HALICARNASSENSIS *Opera ex recenſione et cum notis Petri Weſſelingii aliorumque. Amſterd.* 1763. *Fol.*

Hiſtoire d'Herodote traduite du Grec avec des remarques hiſtoriques et critiques, un Eſſai ſur la Chronologie d'Herodote et une Table Geographique par Mr. Larcher. Paris 1786. *I - VII.* 8.

Diodori Sicu'i Bibliotheca hiſtorica ex editione Laurentii Rhodomanni. Hannov. 1604. *Fol.*

Caii Salluſtii Criſpi opera omnia, quae exſtant, interpretatione et notis illuſtrauit Daniel Criſpinus. Lond. 1776. 8.

Strabonis Geographiae libri XVII. ex recenſione Caſauboni. Lutet. Pariſ. 1620. *Fol.*

Claudii Ptolemaei de Geographia libri VIII. Baſileae. 1533. 4.

Antonini Itinerarium ex Edit. Weſſelingii. Amſt. 1760. 4.

Pomponius Mela de ſitu Orbis cum obſervationibus Iſaaci Voſſii. Hagae - Comitis 1658. 4.

Plinii Hiſtoria Naturalis. Biponti. 1784. 5. *Voll.* 8.

Quosdam alios veteres auctores, quos curſim tantum inſpexi taceo.

Scriptorum recentiorum, quae excuſſi, praecipua haec ſunt: Chriſtophori Cellarii Notitia Orbis Antiqui. Lipſ. 1701. *et* 1760. *II. Tom.* 4.

Abulfedae deſcriptio Aegypti, arabice et latine, e Codice Pariſienſi edidit, latine vertit, notas adiecit I. D. Michaelis. Goettingae 1776. 4.

Memoires ſur l'Egypte ancienne et moderne par Mr. d'Anville. Paris. 1766. 4.

Geo-

omnibus, quibus eam inueſtigare et explorare forte placeat.

Supereſt, vt duo errores Geographicos, ex minus recta quorumdam *Herodoti* locorum interpretatione oriundos, ſtrictim attingam.

Alter horum errorum e falſa *Laurentii Vallae* interpretatione profectus eſt, quippe qui ſecundum *Herodoti* verba: ἐπι μεν νυν Βαττεω τε του οἰκιστεω της ζοης, quae libr. IV. cap. 159. exſtant, Battum nobis dedit, *qui condidit Zoam. Vallam* ſequutus *Abrahamus Ortelius* in theſauro ſuo geographico *Zoam Cyrenaicae vrbem*, commemorat. Ita autem conſtituto verborum ordine: ἐπι μεν νυν της ζοης Βαττεω τε του οἰκιστεω, ſenſus huius loci hic eſt: *dum viueret Battus conditor* (ſcilicet Cyrenes. *Herodotus* enim ſecundum dialectum Ionicam ζοης ſcripſit pro ζωης. Conditoris epitheton Batto et ab aliis ſcriptoribus tribuitur. Vid. *Pindar.* Pyth. IV. 10. *Callim.* Hymn. in Apoll. 67. Mirum ſane eſt, abſurdum hunc errorem, quem iam detexit *Paulus Leopardus* Seculi XVI. ſcriptor, (Emendat. lib. III. cap. XI. pag. 55.) non ante *Valkenarii* et *Weſſelingii* tempora ex *Herodoto* extruſum eſſe; eum ne vidit quidem *Gronouius*, Vir clariſſimus. Obſeruatus tamen eſt hic error et emendatus a Bouhierio in libro, cui titulus: *Recherches et Diſſertations ſur Herodote, Chap. XII. pag.* 130. Poſt *Weſſelingium* demum hunc errorem notarunt *Bellangerius*, teſte *Larcherio*, merito ei adſtipulante Tom. III. not. 246. pag. 469. aliique.

Alter error notandus apud *Bochartum* et quosdam alios occurrit. Fuerunt enim nonnulli, v. c. *Bochartus* (Phaleg lib. IV. cap 27. pag. 313.

Geographie ancienne abrege par Mr. d'Anville. Ibid. 1768. *Tom. III.* 8.
Geographia ſacra auctore Samuele Bocharto. Cadomi 1651. *Fol.*
Recherches et Diſſertations ſur Herodote par Mr. le Preſident Bouhier A Dijon 1746. 4.
Relation uniuerſelle de l'Afrique ancienne et moderne - par le Sr. de la Croix. Lion 1688. 4 *Voll.* 8.
Vmbſtaendliche und eigentliche Beſchreibung von Africa durch O. Dapper. Amſterd. 1670. *Fol.*
Allgemeine hiſtoritche Bibliothek von Mittgliedern des Koniglichen Inſtituts der hiſtoriſchen Wiſſenſchafften zu Gottingen. Herausgegeben von Ioh. Chriſtoph. Gatterer. Halae.
Hauſi uonnulla e Tom, II. XI. XIV. XVI. Poſterioribus continentur excerpta e Bryanti Obſeruations aud Inquiries cet.
Ioa. Bapt. Gramaye Africa illuſtrata. Tom. Nerv. 1621. 4.
Bibliotheque Orientale - par Mr. d' Herbelot. Paris, 1697. *Fol.*
Nachrichten von Marockos und Fes im Lande ſelbſt geſammlet in den Iahren 1760 - 1768. *von Georg Hoeſt. Aus dem Daeniſchen ueberſezt. Kopenhg.* 1781. 4.
Ioannis Leonis Africani Africae deſcriptio. Lugd. Bat. 1630. 16.
Iobi Ludolfi Hiſtoria Aethiopica. Francof. ad. Moen. 1681. *Fol.*
Eiusdem Commentarius ad ſuam Hiſtoriam Aethiopicam antehac editam. Ibid 1691. *Fol.*
L'Afrique de Marmol de la traduction de Nicol. Perrot. Paris 1667. 4.
Lettres ſur l'Egypte - par Mr. Savary. Ibid. 1785. 8.
Voyages de Mr. Shaw. dans pluſieurs prouinces de la Barbarie et du Levant - traduites de l'Anglois. A la Haye 1743. 2 *Voll.* 4.

Adſcripſi titulos horum librorum, e quibus omnis commentationis meae fides pendet, et editionum, quae mihi in conſcribendo hoc libello ad manus fuerunt, ſubieci indicem, non vt magna lectione ſuperbirem, ſed vt quanta diligentia in laudandis aliis verſatus ſim appareat

omni-

E. et pag. 314. A.) et *Bouhierius* (l. c. pag. 73.) qui affirmarent, *Magdolum*, Aegypti vrbem, quae pene in ingreſſu Aegyp.i ad milliare XII. a Peluſio fuit, vt in *Itinerario Antonini* habetur, *Herodoto* commemorari. At ex Auctoris noſtri lib II. cap 159. coll. lib. III. cap. 5. ſatis apparet, *Magdolum*, cuius ille meminit, vrbem Phoeniciae maritimam fuiſſe. Error haud dubie inde ortus, quod ille locus, quem *Herodotus Magdolum* appellat, ab aliis ſcriptoribus non niſi *Mageddo*, ſ. *Megiddo* vocatur. Quibus ſi addideris, quod proelium *Herodoto* lib. II. cap. 159. memoratum, non diuerſum haberi poteſt ab eo, cuius 2 Paralipom. XXXV. 19 - 24. mentio exſtat, *Magdolum* Aegypti in *Herodoto* occurrere, nemo amplius erit, qui affirmauerit.

Scripſi hanc praefationem animo moeſtiſſimo. Scilicet his ipſis diebus, quibus typis exſcribendum curaui libellum huncce, vale mihi dicendum eſt almae Georgiae Auguſtae, ſuauiſſimo Muſarum commercio, cui quid debeam grata mente vbique praedicabo. Vale mihi dicendum eſt vt lectiſſimae omnium ordinum amicorum coronae, ſic maxime praeceptoribus meis academicis, viris optime de me meritis, quorum ſingularia animi in me propenſi documenta nullum vmquam tempus, dum viuam, mea ex memoria deleturum eſſe ſanctiſſime polliceor. Praeſtet ſaluos et incolumes Numen ſupremum Viros hos optimos, quorum nomina vt noſtra aetate ſunt celeberrima, ſic mirabunda colet diſcendi cupida poſteritas.

Scrib. Gottingae d. XXIV. Sept. 1788.

PRO-

GEOGRAPHIA AFRICAE HERODOTEA.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

DELINEATIO OPVSCVLI.

PROLEGOMENA. Praemiſſis in vniuerſum nonnullis de totius terrarum orbis, Veteribus noti, diuiſione, §. I. ſpeciatim vero de Libya ſeu Africa, tertia orbis antiqui parte: §. II. quot modis accipiatur ab HERODOTO Libyae nomen, §. III. indicatur. Agitur deinde de termino inter Aſiam et Africam conſtituendo, §. IV. de Libyae finibus vniuerſe, ſpeciatim vero de Iſthmo Aegyptiaco, §. V. et de maribus, quibus circumdata eſt Africa. §. VI.

SECTIO I. in qua *Aegyptus* deſcribitur. -- *Cap. I.* in quo de eius nomine, finibus, magnitudine, flumine, paludibus et diuiſione agitur. -- Aegypti nomen §. VII. et fines. §. VIII. -- Aegyptus trium dierum iter vltra Moeridis lacum coeno aggeſta. §. IX. -- Aegypti magnitudo, §. X-XIV. et quidem 1. eius longitudo iuxta mare, §. X. XI. -- 2. Latitudo Aegypti inferioris et ſuperioris. §. XII. 3. Inferioris Aegypti longitudo a Peluſiaco oſtio vsque ad Heliopolin ſeu verticem Deltae. §. XIII. -- 4. Aegypti ſuperio-

ris longitudo. §. XIV. -- De Nilo, vnico Aegypti fluuio, agitur §. XV-XXIII. et quidem 1. de Nili nominis origine; §. XV. 2. de fontibus eius; §. XVI. 3. de eiusdem et regionis vltra Elephantinem natura. §. XVII. -- 4. Nilus quousque cognitus. §. XVIII. -- 5. Eius cursus in Aegypto et ostia. §. XIX. -- 6. Nilus quam regionem inundet. §. XX. -- 7. Quousque crescat et decrescat. §. XXI. -- 8. Variae de incremento Nili sententiae. §. XXII. -- 9. Incrementum Nili maximum. §. XXIII. -- In fine huius capitis exponitur de paludibus §. XXIV. et diuisione Aegypti. §. XXV. -- *Cap. II.* Singularum gentium, regionum, vrbium oppidorumque, Aegypti descriptionem complectens. -- Praemisso recensu exterarum gentium, quae Aegypti loca quaedam inhabitasse dicuntur HERODOTO, §. XXVI. sequitur *I. Aegypti inferioris descriptio*, §. XXVII-XXXI. et quidem 1. partis Aegypti inferioris occidentalis vsque ad Deltam; §. XXVII. 2. Deltae magnae, et, praemissis paucis de origine nominis Deltae, eiusque ambitu, §. XXVIII. α) quidem eius partis, quae est inter ostium Canopicum et Phatniticum, §. XXIX. tum β) regionis, inter Phatniticum ostium et Pelusiacum sitae, quae vulgo Deltae paruae nomine venit; §. XXX. 3. Aegypti inferioris partis orientalis, quae est extra Deltam §. XXXI. -- *II. Descriptio Aegypti superioris*, 1. Heptanomidis §. XXXII. et 2. Thebaidis. §. XXXIII.

Ad finem perducta Aegypti descriptione subiiciuntur *Epimetra IV.* Horum autem 1) exponitur de vrbium, oppidorum et incolarum Aegypti

gypti numero; 2) de Phoenicum circumuectione Libyae; 3) de menſuris Geographicis, HERODOTO memoratis; 4) denique ea, quae de aëris temperie, de bonis Aegyptiacae terrae, de Aegyptiorum diuiſione et de praecipuis eorum moribus et inſtitutis ab HERODOTO narrata accepimus, adduntur.

SECTIO II. *Libyae deſcriptionem complectens.*

(Contextus loci claſſici apud *Herodotum* Lib. IV. cap. 168. ſqq. in quo Libya deſcribitur. — Inſeruntur ſuis locis reliqua, quae ad Geographiam Libyae pertinent, paſſim in *Herodoto* obuia, ita, vt haec contextus loci illius explicatio pro conſpectu *poſterioris Geographiae Africae Herodoteae ſectionis* haberi poſſit.)

CAP. I.

Deſcriptio eius Libyae partis quae ab HERODOTO *Lib. IV. depingitur.*

Libyae oram maritimam Libyaeque partem ſupra hanc ſitam, quae HERODOTO potiſſimum innotuit, ipſe Auctor noſter in *duas partes* diuidit, *orientalem* et *occidentalem*, (HERODOT. lib. IV. cap. 191. coll. cap. 160) a qua diuiſione in declaratione Libyae faciei, qualis depingitur ab HERODOTO, recedere animus non eſt.

I. *Partem Libyae orientalem*, quae ab Aegypto vsque ad Tritonem fluuium et Tritonidem paludem porrigitur, (HERODOT. lib. IV. cap. 191. coll. 187.) in tres partes minores diuidit HERODOTVS. Exponit enim

1) eas gentes, quae mare accolunt, (cap. 168-180) §. XXXIV-LI. et quidem

α) *Adyrmachidas*, §. XXXIV.

β) *Giligammas*, §. XXXV.

Quae ſequuntur Libyae gentes, cum Cyrenaicam inhabitarent, iis inferuntur, quae de *Cyrenaica* in HERODOTO occurrunt. Agitur itaque

a) De Cyrenaicae regionis et incolarum nominibus, nec non de finibus Cyrenaicae; §. XXXVI.

b) De Cyrenaicae natura; §. XXXVII.

c) De Cyrenaeorum in tribus diuiſione; §. XXXVIII.

d) De fontibus Cyrenaicae §. XXXIX.

Tunc ſubiiciuntur gentes Cyrenaicae, quas poſt Giligammas exponit HERODOTVS:

γ) *Aſbyſtae*; §. XL.

δ) *Auſchiſae*; §. XLI.

ε) *Cabales*; §. XLII.

ϛ) *Naſamones*; §. XLIII.

ζ) *Pſylli*; gens HERODOTI aeuo iam extincta §. XLIV;

has vero excipit vrbium oppidorumque Cyrenaicae deſcriptio, quae nulli illius genti HERODOTVS adſcripſit. §. XLV. Tum vero agitur de reliquis gentibus, quae oram Libyae maritimam vsque ad Tritonem fluuium et Tritoni-

tonidem paludem habitare HERODOTO dicuntur. Sunt autem hae:

η) *Garamantes* ſeptemtrionales; §. XLVI.

ϑ) *Macae*; §. XLVII.

ι) *Gindanes*; §. XLVIII.

ια) *Lotophagi*; §. XLIX.

ιβ) *Machlyes*; §. L. et

ιγ) *Auſenſes* §. LI.

Qui maritimum hunc tractum frequentant et inhabitant Libyes nomadicam vitam agunt omnes, (HERODOT. lib. IV. cap. 181. princ.) eosque Auctor noſter appellare ſolet τους ἐπι θαλασσαν κατηκοντας et παραθαλασσιους lib. IV. cap. 171. 181. lib. II. cap. 32. *a*).

a) Probe teneamus, Libyae gentes, quas maritimas dicit HERODOTVS lib. IV. cap. 168-180 coll. cap. 181. princ. non omnes fuiſſe vere maritimas. *Aſbyſtas* enim mare accolere diſerte negat ipſe Auctor noſter capite 170., item *Garamantes* (ſeptemtrionales) cap. 174. et *Gindanes* cap. 176. At, licet timidius verbis inhaerendum non eſſe nemo non facile intelligat, mirum tamen omnino primo intuitu videri vnicuique debet, quod *Garamantes* in earum gentium numerum retulit HERODOTVS loc. cit. quae mare accolunt, cum tamen ipſe alio loco affirmet, eos *tractum belluoſum* (qui eſt ſupra tractum maritimum, HERODOT. lib. II. cap. 32. lib. IV. cap. 181.) lib. IV. cap. 174. adeoque tractum Libyae fabuloſum lib. IV. cap. 183. (qui ſupra belluoſum adeoque hoc remotior a mari eſt, HERODOT. lib. II. cap. 32. lib. IV. cap. 181.) inhabitare. Hic vero teneamus 1) probe diſtinguendum eſſe inter *Garamantes* ſeptemtrionales (§. XLVI.) et auſtrales: (§. LVI.) tum

2) Supra maritimum tractum belluoſus tractus eſt, ſiue Libya θηριωδης, quam HERODOTVS τα ὑπερ θαλασσης τε και των ἐπι θαλασσαν κατηκοντων ἀνθρωπων dicit lib. II. cap. 32. et lib. IV. cap. 181. Hic tractus deſertus omnino eſt, excepta exigua quadam parte a Garamantibus inhabitata. HERODOT. lib. IV. cap. 174. §. LII.

3) Supra tractum belluoſum eſt tractus tumuloſus et ſabuloſus adeoque vehementer aridus et omnino vaſtus, pluuiaeque expers. HERODOT. lib. IV. cap. 181. 185. coll. lib. II. cap. 32. Supercilium hoc ſabuloſum a Thebis Aegyptiis vsque ad columnas Herculis (HERODOT. lib. IV. cap. 181.) adeoque extra illas (cap. 185.) porrigitur. Sunt autem in hoc ſupercilio, quamquam arido et vaſto, ferme decem dierum itinere fruſta ſalis, fere grumi grandes in collibus, quorum ſingulorum vertices e medio ſale aquam gelidam et dulcem eiaculantur, circa quam homines habitant, vltimi verſus ſolitudinem (HERODOT lib. IV. cap. 185. vid. et infra I. 4. pag. 10.) et ſupra regionem feris abundantem (HERODOT. lib. IV. cap. 181.) §. LIII.

α) Primi quidem *Ammonii*, cap. 181. §. LIV.

β) In ſecundo colle *Augilae*, (Naſamones §. XLIII.) cap. 182. §. LV.

γ) In

tum 2) rationem reddi poſſe ſatis idoneam, qua induci ſe paſſus ſit HERODOTVS, vt *Garamantes* (ſeptemtrionales) inter maritimas Libyae gentes referret, quam rationem videſis infra §. XLVI.

Digitized by Google

γ) In tertio *Garamantes*, cap. 183. §. LVI.

δ) In quarto *Atrantes*, cap. 184. §. LVII.

ε) In quinto denique *Atlantes*, cap. 184. §. LVIII.

Atlantes verſus occidentem non vltimi ſunt eorum, qui ſupercilium fabuloſum incolunt: qui vero poſt eos illud inhabitant, HERODOTO non innotuerunt. HERODOT. lib. IV. cap. 185.

Totus hic Libyae Tractus arenoſus pluuiae expers eſt, ideoque homines eum incolentes ex grumis ſalinis (tuti) ſtruunt domicilia. HERODOT. loc. cit.

Qui ab Aegypto ad Tritonidem vsque paludem, hoc eſt, qui orientalem Libyae partem habitare dicuntur HERODOTO, *b*) vitam agunt nomadicam, carnes edunt et lac potant; carne tamen vaccina prorſus abſtinent, quoniam Aegyptii ea non veſcuntur: item ſuilla. HERODOT. lib. IV. cap. 186 et 191. Mores autem et inſtituta Afrorum Nomadum recenſere hic nihil attinet. Exponuntur ab Auctore noſtro

b) Vtrum ea, quae HERODOTVS de Libybus orientalibus in vniuerſum affirmat, non niſi de gentibus maritimis accipienda ſint, an etiam de iis, qui ſupercilium fabuloſum tenebant, non omnino liquet. Poſterius tamen potiori loco habendum eſſe nobis quidem videtur, cum vniuerſalis partis Libyae orientalis deſcriptio (HERODOT. lib. IV. cap. 191) in ſupercilium quoque fabuloſum quadret, cumque haud dubie, qui illud inhabitabant, nomades eſſent omnes. De *Garamantibus* hoc certo conſtat. POMPON. MELA. lib. I. cap. 8.

Digitized by Google

ſtro lib. IV. cap. 187-190 *c*). Ipſa autem haec Libyae pars non ita abundat feris, quam occidentalis; depreſſa etiam eſt et arenoſa. HERODOT. lib. IV. cap. 191.

4) Quae ſupra ſupercilium illud ſabuloſum ſita eſt verſus Notum et mediterranea Libyae loca, regio deſerta eſt, et aqua, feris, imbribus, ligno, humore adeo omni caret. HERODOT. lib. IV. cap. 185. §. LIX.

Breuem narrationem de animalibus apud Nomades Libyes degentibus *d*) inſeruit HERODOTVS lib. IV. cap. 192.

II. *Pars Libyae maritimae occidentalis.* A Tritone fluuio et Tritonide lacu verſus occidentem non ſunt

c) Africae plerosque incolas ab Aegypto vsque ad Tritonidem paludem Aegyptiis moribus vti affirmat HERODOTVS lib. IV. cap. 186. Ratio forte inde petenda eſt, quoniam hi Afri cum Aegyptiis communiter a מצרים genus ducebant. BOCHART. Phaleg lib. IV. cap. 33. pag. 333. E.

d) Ceruum in Libya degere negat; alii eum ſequuntur, alii contrarium affirmant, quos ſingulos nominat WESSELING. ad HEROD. l. c. HERODOTI aeuo cerui et apri Libyae ſi defuerint, dicendum erit, aliunde poſtea huc deueniſſe: nam conſpici iſtic et venatu intercipi, docuit THOMAS GATAKERVS Miſcellan. lib. II. cap. 8. et SHAW Voyages. Tom. I. pag 323. De ſingulis animalibus fuſius exponere, quorum mentionem iniecit HERODOTVS l. c. ab hoc libello alienum eſſe iudicamus. Quid? quod nudam eorum recenſionem plane ſilentio transmittimus, cum non niſi laudato loco animalium in Libyum nomadum regione degentium meminerit Auctor noſter.

Digitized by Google

ſunt Libyes nomades, ſed ii Libyes, qui aratores ſunt et domos poſſidere in vſu habent. HERODOT. lib. IV. cap. 191. coll. cap. 187. princ. Haec Libyae pars multo magis feris abundat et ſiluis, quam orientalis, maiorem quoque in modum montana eſt. HERODOT. lib. IV. cap. 191. Aratores Libyes commemorantur HERODOTO

1) *Maxyes*; lib. IV. cap. 191. §. LX.

2) *Zaueces*; cap. 193. §. LXI. et

3) *Byzantes* (*Gyzantes*) cap. 194. iuxta quos ſita eſt *inſula* nomine *Cyraunis*. Ibid. §. LXII.

Breuem narrationem de animalibus apud Libyes aratores degentibus *e*) inſeruit HERODOTVS lib. IV. cap. 191.

His ſubiiciuntur in commentatione noſtra nonnulla

1) De *Carthagine*, quae in Africa proprie ſic dicta ſita erat; §. LXIII.

2) De

e) In horum animalium numero ab Auctore noſtro l. c. recenſentur etiam vrſi; ad quem locum haec a WESSELINGIO obſeruata tranſcribere nobis liceat: "In Africa vrſum non gigni confidenter PLINIVS hiſt. nat. lib. VIII. cap. 36. Sequitur LIPSIVS Elect. lib. II. cap. 4. *pellem Libyſtidos vrſae* Leoninam interpretatus, ſimilemque in modum alia. — Contra vtrumque venit SALMASIVS ad *Solin.* pag. 220. — Salmaſiana mihi non diſplicent ſtabilita teſtimonio doctiſſimi SHAW Voyages tom. I. p. 323." — Add. LARCHERII Hiſt. d'Hérodote tom. III. pag. 488. 489. 490. Reliqua animalium apud Libyes aratores degentium nomina non transſcribimus. Locum enim habet etiam hic, quod obſeruationi d) ſubiecimus.

Digitized by Google

2) De *Columnis Herculis*; §. LXIV.
3) De *loco anonymo* extra columnas ſito; §. LXV.
4) De *promontorio Soloente*; §. LXVI. Additur
5) Breuis relatio de partis Libyae hucusque deſcriptae hodierna diuiſione §. LXVII.--

Iam ne ordo geographicus interrumpatur

CAPITE II.

inſeruntur ea, quae paſſim de Libya interiore, in HERODOTO occurrunt. Agitur itaque

1. De populo, Nigrum accolente. §. LXVIII.
2) De Aethiopia ſupra Aegyptum, §. LXIX-LXXIV. et quidem
   α) De variis incolarum Aethiopiae ſupra Aegyptum nominibus, in HERODOTO obviis, item de Troglodytis Aethiopibus. §. LXIX.
   β) De finibus Aethiopiae ſupra Aegyptum. §. LXX.
   γ) De vrbe Nyſa. §. LXXI.
   δ) De inſula Tachompſo. §. LXXII.
   ε) De vrbe Meroe. §. LXXIII.
   ϛ) De Automolis. §. LXXIV.
3. De Aethiopibus Macrobiis. §. LXXV.

Denique ſubiiciuntur ea, quae HERODOTVS ſub finem libri IV.

1) De vniuerſali deſcriptione incolarum Libyae cap. 197. §. LXXVI. et
2. De vniuerſali deſcriptione naturalis ſoli Libyae conditionis cap. 198. §. LXXVII. memoriae prodidit.

Epimetrum exponit de populo incertae ſedis. §. LXXVIII.

PRO-

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

§. I.

Vniuerſi terrarum orbis veteribus noti diuiſio.

Vniuerſi terrarum orbis veteribus noti, tres partes a Geographis cum antiquioribus, tum recentioribus vulgo conſtitui, *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, ſatis conſtat. Fuiſſe quidem inter illos quosdam, qui eius duas tantum partes eſſe vellent, *Europam* et *Aſiam*, ex ISOCRATE *a*), LVCANO *b*) aliisque compertum habemus; verum non niſi paucos id voluiſſe SALLVSTIVS CRISPVS *c*) teſtatum reliquit. Horum vero alii Africam ſub Europa comprehendiſſe *d*), Aſiae eam alii annumeraſſe *e*) perhibentur. Vulgarem diuiſionem ſequitur HERODOTVS noſter lib. IV. cap. 42. ideoque lib. II. cap. 17. *Aegyptum* non a Libya ſeiungere et quaſi *quartam* orbis antiqui partem conſtituere dicendus eſt. Nam licet haec HERODOTI verba, quae poſteriori loco leguntur: οὐρισμα δε Ασιη και Λιβυη οἰδαμεν οὐδεν ἐον ὀρθῳ λογῳ, εἰ μη τους Αἰγυπτιων οὐρους ita explicari poſſe haud diffiteamur, vt aliquis inde

a) Panegyr. cap. 48.

b) Pharſal. IX. 411. ſqq.

c) Bello Iugurthino pag. 75.

d) SALLVST. l. c.

e) SIL. ITAL. I. 193. ſqq. Conf. LARCHER. Tom. II. pag. 191. Rationem, cur non tertia orbis terrae pars olim credita ſit Africa, lege apud GRAMAYE in Africa illuſtrata p. 2.

Digitized by Google

inde ſtatuendum eſſe iudicaret, HERODOTVM Aegyptum quartam orbis antiqui partem pronunciaſſe: haec tamen interpretatio, vt ſibi ipſi conſtet Auctor noſter, plane admitti nequit.

§. II.

Libya ſeu Africa, tertia orbis antiqui pars.

Miſſis vero iis, quae de variis orbis antiqui diuiſionibus tribus verbis attingenda eſſe iudicauimus, in ſola *Libya* ſeu *Africa* ſubſiſtamus, tertia orbis antiqui parte. Ea autem HERODOTO aeque ac pleriſque ſcriptoribus graecis *a*), qui quidem eius mentionem faciunt, Λιβυη dicitur, cuius nominis originem inueſtigare hic nihil attinet *b*); Romani autem ſcriptores, e quibus SALLVSTIVM *c*) et PLINIVM *d*) laudaſſe ſufficiat, *Africae* nomine eam

a) IOSEPHO Ant. Iud. I. cap. 15. Ἀφρικη dicitur. Titulos ſingulis ſectionibus libri IV. PTOLEMAEI praefixos, Ἀφρικης πινακ. α', β', γ', cet. non ab ipſo PTOLEMAEO profectos eſſe, confecta res eſt; PTOLEMAEVS numquam non in ipſo opere Λιβυης nomine vtitur. — Varia huius terrarum orbis partis nomina, in primis a celebrioribus prouinciis variis temporibus ipſi indita, e STEPHANO, tamquam ex fonte, hauſerunt CELLARIVS Tom. II. P. III. p. 2. 3. DAPPERVS pag. 2. BOCHARTVS Phaleg pag. 336. aliique.

b) Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 45. Conf. SERVIVS ad *Virgil.* Aen. I. 22.

c) l. c.

d) Hiſt. Nat. lib. V. prooem.

Digitized by Google

eam insigniunt. Arabes Africam, excepta tamen Aegypto, *Magreb* appellare, h. e. Occidentem, nota res est *e*).

§. III.

Variae Libyae nominis significationes apud Herodotum.

Iam Libyae nomen, cum haud vno modo ab HERODOTO accipiatur, necesse est, vt teneamus, eo nomine Auctorem nostrum significare 1) omnem Africam eo sensu, quo vulgo adhibetur *a*); tum 2) Africam excepta omni Aegypto *b*); denique 3) septemtrionalem Libyae partem, hoc est, omnem Africam, quae HERODOTI aeuo maxime innotuit. Nam lib. IV. cap. 197. Libyes oppositi sunt Aethiopibus; Aethiopia autem antiquissimis temporibus vocabatur tota interior Libya, eaque minus cognita *c*).

§. IV.

De termino inter Asiam et Africam constituendo a).

Accedendum nunc foret ad indicandos Africae fines, nisi antea *de termino inter Asiam et Africam*

e) Vid D'HERBELOT. pag. 66. a, voce *Afrikiah* et p. 529. voce *Magreb*.

a) HERODOT. lib. IV. cap. 42.

b) lib. II. cap. 17. 18. IV. 167. aliisque in locis.

c) STRABO lib. I. p. 34. C.

a) Prisci non iisdem terminis partes orbis praecipuas, ac nos, circumscripserunt; — *Aegyptus modo ad Africam, modo ad Asiam pertinere visa fuit; quidam Nilum Africam ab Asia disterminare putauerunt.* Verba sunt IOBI LVDOLFI Hist. Aethiop. lib. II. cap. 3. §. 16. 17.

Digitized by Google

cam dicendum nobis esset, in quo constituendo veterum auctorum mire discrepant sententiae. Rectissime HERODOTVS Asiae et Africae terminum esse Isthmum Aegyptiacum et sinum Arabicum pronunciat lib. IV. cap. 42. cui loco non repugnant ea, quae lib. II. cap. 17. et lib. IV. cap. 45. exstant, in quibus Nilus terminus inter Asiam et Africam constituendus dicitur; siquidem in his non suam, sed aliorum sententiam, tamquam falsam, HERODOTVM commemorare, manifestum est. (Conf. §. I. fine) SALLVSTIVS *b*), cum quo consentit POMP. MELA *c*), has orbis antiqui partes Catabathmo discernit, adeoque non omnem modo Aegyptum, verum etiam Marmaricae partem ad Asiam reuocat. Missis vero TIMOSTHENE, ARTEMIDORO, ISIDORO *d*), PLINIO *e*), HIRTIO *f*) ceterisque scriptoribus antiquis, Nilo et aliis terminis Asiam ab Africa dispescentibus, obseruemus potius, iam STRABONEM *g*) referre, τους χαριεστερους των διαιρουντων την Ασιαν απο της Λιβυης sinum Arabicum pro confinio commodiore vtriusque partis habuisse, quam Nilum. Atque hanc distinationem, ipsi rerum naturae aptissimam, sequuti sunt veterum Geographorum plerique, STRABONE iuniores, et omnis *fere* recentioris aeui Geographorum turba. Sunt enim et in his nonnulli, qui terminum Africae orientalem non Isthmum Aegyptiacum et sinum Arabicum, sed Nilum constituant, v. c. LEO AFRICANVS pag. 4; quo factum est, vt Aegyptum et magnam Africae orientalis partem ad Asiam reuocarent.

§. V.

b) l. c. *c*) lib. I. pag. 8. 9. *d*) apud PLINIVM H. N. V. 9. princ. *e*) H. N. lib. III. prooem. *f*) de bello Alex. cap. 14. *g*) lib. I. pag. 34. C.

§. V.

De Libyae finibus vniuerſe; ſpeciatim de Iſthmo Aegyptiaco.

Iam, ſi quis diſcere cupiat, quae de *Libyae finibus* in vniuerſum ab HERODOTO commemorata ſint, idem locus (videat. lib. IV. cap. 42.) in cenſum venit, in quo terminum inter Aſiam et Africam recte ab Auctore noſtro conſtitutum eſſe diximus. Eo nimirum Libyam vndique Oceano circumdatam eſſe affirmat, praeterquam qua parte Aſiae contermina ſit. Verum in hoc minime acquieſcit HERODOTVS, vt Libyae fines in vniuerſum ſic indicet, ſed Iſthmi Aegyptiaci, quem recentiori aetate ab vrbe *Sues* denominarunt, deſcriptionem, et varia maris, quo circumdata eſt Libya, nomina ſubiicit. Ac Iſthmi quidem limites recte indicat, nimirum Aſiae partem, mare mediterraneum, Aegypti partem et mare rubrum, h. e. ſinum Arabicum; ipſum vero *Iſthmum* non vltra 100,000 orgyias, = 1000 ſtad. latum eſſe, eoque ſolo Africam cum Aſia cohaerere contendit *a*).

§. VI.

M a r i a.

Supereſt, vt *de mari interiori et exteriori, quo cingitur Libya* et de ſingulis eius partibus videamus. Commemoratur autem ab HERODOTO

1. *Mare mediterraneum* ſiue *interius*, quod ille quidem *την βορηΐην θαλασσαν a*) appellat, habita eorum ratione, qui Africam incolunt, vel ſim-

a) HERODOT. lib. IV. cap. 41. coll. lib. II. cap. 158.
a) Lib. II. cap. 11. 158. 159. IV. 42.

ſimpliciter την θαλασσαν *b*), aliorum marium reſpectu habito. Idem et verborum ambage *mare, quod Graeci navigant c*), eius autem pars, quae Aegyptum alluit, *Aegyptium mare*, το Αἰγυπτιον πελαγος *d*), vocatur. Incipere mare internum HERODOTO dicitur a columnis Herculis *e*).

II. *Oceanus Atlanticus*, ἡ ἐξω στηλεων θαλασσα, ἡ Ἀτλαντις καλεομενη *f*). Innuit eumdem Oceanum HERODOTVS lib. IV. cap. 42. fine.

III. *Oceanus Auſtralis*, HERODOTO ἡ Ἐρυθρη θαλασσα *g*) dicitur; interdum ἡ Νοτιη θαλασσα *h*). Nomen ἡ Εὐρεη θαλασσα *i*), cum oppoſitum ſit anguſto ſinui Arabico, minus recte huc trahitur.

IV. *Sinus Arabicus*, ὁ Ἀραβιος κολπος *k*), qui, cum pars eſſet maris Erythraei, ipſe quibusdam in locis της Ἐρυθρης θαλασσης nomine venit *l*). Eumdem vno ſaltem loco *m*) νοτιην dicit, et verborum ambage κολπον θαλασσης ἐσεχοντα ἐκ της Ἐρυθρης καλεομενης θαλασσης *n*). — *Sinus* noſter iter quadraginta dierum in longitudinem porrigitur, in latitudinem, vbi maxima eſt, non niſi ad dimidiae diei partis iter nauigio ſuſceptum referente HERODOTO lib. II. cap. 11.

b) Lib. I. cap. 1. IV. 41. *c*) Lib. I. cap. 202. *d*) Lib. II. cap. 113. *e*) Lib. IV. cap. 42. *f*) Lib. I. cap. 202. *g*) Lib. I. cap. 202. II. 11. 102. 158. 159. IV. 37. 39. 40. *h*) Lib. II. cap. 11. 158. IV. 37. 42. *i*) Lib. II. cap. 11. *k*) Lib. II. cap. 102. 158. 159 IV. 39. 42. 43. *l*) Lib. II. cap. 8. 158. IV. 41. 42. *m*) Lib. II. cap. 158. *n*) Lib. II. cap. 11.

GEO-

GEOGRAPHIAE AFRICAE HERODOTEAE

SECT. I.

IN QVA AEGYPTVS DESCRIBITVR.

CAP. I.

IN QVO DE NOMINE, FINIBVS, MAGNITVDINE, FLVMINE, PALVDIBVS ET DIVISIONE AEGYPTI AGITVR.

§. VII.

Aegypti nomen.

Quae ab antiquiſſimis inde temporibus ad hanc vsque memoriam apud varias nationes populosque obtinuerunt illius Africae partis nomina, quam duce HERODOTO hac prima libelli noſtri ſectione deſcribere nunc aggredimur: ea hic enumerare, eorumque inueſtigare origines, animus non eſt. Scilicet cum non ſit vniuerſalis, ſed mere *Herodotea* ea *Aegypti Geographia*, ad quam conſcribendam accedimus, ſi ab iis receſſeris, quae ad illuſtrationem faciunt, partim ex veterum, partim ex recentiorum ſcriptis adiunctis: ſufficit, vt teneamus, illam Africae partem apud HERODOTVM non niſi *Aegypti*, Αἰγύπτου, nomine venire; quod

 apud

apud Graecos et Romanos olim receptum, in hunc vsque diem durauit. Quicunque enim Aegypti incolarum noſtra adhuc aetate a priſcis Aegyptiis genus ducunt, terrae, quam inhabitant, nomen *Kibth* ſeu *Kypt* conſtanter imponunt, quod ex Αἴγυπτῳ corruptum eſſe facile perſpicitur *a*). Sic et nomen *Meſr*, quo Aegyptus hodieque arabica dialecto nuncupatur, ex hebraico מצרים corruptum eſt *b*). Ad Aegypti nominis originem quod attinet, tantum monemus, alios illud ab Aegypto quodam deducere, qui Memphi ex filia nepos fuiſſe perhibetur *c*), alios ab Aegypto, antiquo Nili nomine *d*), hanc Africae partem appellatam eſſe fabulari. Nolumus enim deſcendere in reliquas, quae multae ſunt, Aegypti nominis rationes et origines, quippe quae maxima ex parte ingenioſe magis quam vere excogitatae videntur.

§. VIII.

Aegypti fines.

Quibus tamen terminis contineatur Aegyptus antiqua, inter veteres non conuenit. Nos, ne iuſto

a) D'HERBELOT. p. 580. b. voce *Meſri*; p. 953. a vocc. *Kebth* et *Kebthi*; p. 1003. b. voce *Kibth*. D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 5. 6. Recentiora alia quaedam nomina Aegypti recenſet BOCHARTVS in Phaleg lib. I. cap. 1. pag. 5. 6. 8. a.

b) D'HERBELOT pag. 579. voce *Meſr*. Hebraice Aegyptus dualiter מצרים haud dubie dicta ob diviſionem in orientalem et occidentalem.

c) DIODOR. SICVL. lib. I. pag. 47. (p. 33. B.)

d) Vid. *idem* l. c. pag. 17. (p. 11. D.) Lege et *Geograph. Homeri* §. CXLI.

Digitized by Google

iuſto longiores ſimus, neglectis Aegypti limitibus a priſca Geographorum turba vario modo conſtitutis, in iis acquieſcere volumus, quae his de finibus ex ipſis HERODOTI ſcriptis innoteſcunt *a*). Illo autem teſte *Iones* non niſi eam regionem, quae a Perſei ſpecula *b*) vsque ad Tarichaeas Peluſiacas pertinet, et hinc meridiem verſus vsque ad Cercaſorum vrbem porrigitur, ne multa, non niſi Deltam magnam Aegypti nomine venire affirmabant; reliquam omnem terram, quam vulgo Aegyptum appellarent, partim ad Libyam, partim ad Arabiam referendam eſſe. Cui tamen *Ionum* de Aegypti terminis ſententiae ſubiicit HERODOTVS, ex ea inferatur neceſſe eſſe, nullam olim Aegyptiis fuiſſe terram, ſiquidem Delta, referentibus Aegyptiis, quorum ſententiae ſubſcribere nullus dubitauit Auctor noſter, ſit καταβρυτος et recentiori demum aetate limo, a Nilo ex Aethiopia delato, aggeſta *c*). (Conf. §. IX. ibique not. a.). Omnem potius regionem, ab Aegyptiis habitatam, appellandam eſſe Aegyptum lib. II. cap. 17. affirmat, et mox cap. 18. Aegyptum patere ait, qua Nilus effundatur, prouocans ad Ammonis definitionem, quae ſit Aegyptus, loco laudato occurentem.

a) Reliquorum Auctorum de termino Aegypti ſententias recenſet CELLARIVS lib. IV. cap. I. pag. 3. ſeqq.

b) Minus accurate hic HERODOTVS. Haud dubie omnem regionem innuit, quae eſt inter Canopicum oſtium et Peluſiacum. At Perſei ſpecula non Canopico Nili oſtio adiacet, ſed Bolbitino, quod eſt inter Canopicum et Sebennyticum.

c) HERODOT. lib. II. cap. 15.

Digitized by Google

De ipſis Aegypti finibus in vniuerſum ne vllo quidem loco exponit HERODOTVS. Collectis autem variis locis, in quibus hunc et illum terminum ab Auctore noſtro commemoratum deprehendimus, eos haud parum accurate ex hoc ipſo antiquo ſcriptore conſtituere poſſumus. Iam enim HERODOTVM referre intelligimus, vtrumque Aegypti latus (orientale et occidentale) inde ab Heliopoli, vrbe in ipſo Deltae vertice ſita, (Vid. infra) montibus cinctum eſſe, alterum Arabicis *d*), alterum Libycis *e*); tum, conterminam ei eſſe (verſus orientem) Syriam *f*), mare mediterraneum *g*) (verſus ſeptemtrionem), et (meridiem verſus) catadupa ſiue Cataracten minorem *h*), denique verſus meridiem Elephantinem vrbem in finibus Aegypti ſitam eſſe *i*). Quibus adde, quod Aegyptum HERODOTVS lib. II. cap. 34. e regione montanae Ciliciae iacere pronunciat. Antiquiorum Geographorum nonnulli orientalem Aegypti partem vsque ad Deltam ad Arabiam reuocabant, quam noſtro adhuc aeuo Arabes incolere et peruagari certum eſt. Vnde nec eſt, quod miremur, hanc Aegypti partem omnino fere incultam eſſe ac deſertam *k*).

§. IX.

d) HERODOT. lib. II. cap 8. Montem hunc ad Sinum Arabicum a ſeptemtrione in meridiem porrigi monere haud oblitus eſt HERODOTVS l. c.

e) HERODOT. lib. II. cap. 8. Vid. et II. 65. et IV. 167. 168.

f) Lib. II. cap. 116.

g) Lib. II. c. 158.

h) Lib. II. cap. 17.

i) l. c.

k) Vid. D'HERBELOT. pag. 579. voce Meſr.

Digitized by Google

§. IX.

Aegyptus ad trium dierum iter vltra Moeridis lacum coeno aggesta.

Affirmat porro HERODOTVS, *Aegyptum ad trium dierum iter vltra Moeridis lacum* esse ἐπικτητον γην και δωρον ποταμου *a*), *acquisitam terram et donum fluuii*; prisco enim aeuo Aegyptum πλην του Θηβαικου νομου *b*), *excepto Thebaico nomo* h. e. Thebaide, paludem fuisse testatur *c*). Sententiam

 vero

a) HERODOT lib. II. cap. 5. (Vid. et cap. 4. 10-12. 15.) Locum hunc diligenter quidem, at prolixius, quam par erat, commentatus est LARCHERIUS Tom. II. pag. 158-169. Nobis quidem vehementer arridet eorum sententia, qui HERODOTVM sequuti Deltam Nili donum esse affirmamarunt. In tutelam recipunt HERODOTI sententiam ex antiquioribus DIODORVS SICVLVS lib. I. p. 30. (p. 21. B.) et lib. III. p. 144. (p. 101. A.) ARISTOTELES Meteorol. lib. I. cap. 14. et STRABO, qui saltem Aegyptum inferiorem Nili donum habendam esse lib. I. pag. 30. B. indicat; (cui loco iungenda sunt ea, quae lib. I. p. 36. A. et XII. 536. B. exstant) ceteros vt taceamus; ex recentioribus MARMOL. Tom. III. p. 245. *de la* CROIX T. I. p. 51. SHAW T. II. p. 183. et DAPPER. p. 45. b. coll. p. 50. a. Reiecit autem hanc opinionem recentiori maxime aetate FRERETUS (Hist. de l'Acad. des Inscript. Tom. XVI. p. 333. et Tom. XVIII. p. 188. multique alii, quorum rationes vide apud BOCHARTVM in Phaleg I. IV. c. 24. p. 295. E. FRERETO adstipulari videtur WESSELINGIVS ad HEROD. II. 5. quamquam idem non negat, eam ex earum numero esse, quae post accuratum examen laudantur ab his, culpantur ab illis.

b) Vox νομος h. l. omnem Thebaidem indicat.

c) HERODOT. lib. II. cap. 4. coll. cap. 10. Add. PLINII Hist. Nat. l. II. cap. 85. et WESSELING. ad HERODOT. lib. II. cap. 10.

Digitized by Google

vero ſuam de Aegypto annuis Nili exundationibus, ex Aethiopia limum deferentis, ſenſim aggeſta HERODOTVS in primis lib. II. cap 12. e ſoli Aegyptiaci natura, a natura finitimarum regionum diverſa, et cap. 13. e varia inundationis per Nilum altitudine confirmare et communire ſtudet. Et ne vllo modo aſſerti huius veritatem in dubium aliquis vocaret, experientiae auctoritatem ſubiungit, quae vnumquemque doceret, Aegyptum ſingulis annis limi accumulatione nouum capere accrementum. Ab eodem limo haud dubie *nigra* ſoli Aegyptiaci facies repetenda eſt *d*).

§. X.

Aegypti magnitudo.

I. *Eius longitudo quae iuxta mare porrigitur.*

Omnis Aegypti longitudo iuxta mare a Plinthinete ſinu vsque ad lacum Serbonidem porrigitur, ad quem mons Caſius pertingit, teſte HERODOTO lib. II. cap. 6. cum quo conſentit DIODORVS SICVLVS *a*). At enimuero minus accurate definitam eſſe ab HERODOTO loco laudato Aegypti latitudinem maximam ſeu longitudinem iuxta mare et ex DIODORO SICVLO, et ex alio ipſius Auctoris noſtri loco ſatis apparet. Etenim ſi Caſius mons finis Aegypti verſus orientem perhibetur, duas illas vrbes, quae magis verſus orientem ſpectant

d) HERODOT. lib. II. cap. 12. Conf. VIRGIL. Georgic. IV. 191.

a) Lib. I. pag. 27. (p. 19. B.).

ſtant, quam Caſius mons, Oſtracinem *b*) dico et Rhinococuram *c*), HERODOTO tamen non memoratas, ex Aegypto extrudi perſpicitur, quas tamen ad eam reuocandas eſſe DIODORVS *d*) docet, dum Rhinococuram Aegyptiacam ciuitatem appellat Sed ne quis nobis obiiciat, forte non eosdem fuiſſe terminos HERODOTI aetate, quam tempore DIODORI, ideoque iſto DIODORI teſtimonio antiquiſſimum Aegypti Geographum refutari non poſſe: ipſe in arenam prodeat HERODOTVS, in cuius opere alius exſtat locus, e quo ſatis euinci poteſt, vtramque vrbem eius aetate ad Aegyptum pertinuiſſe. Auctor enim noſter lib. III. cap. 5. eam quoque regionem ad Aegyptum pertinere memorat, quae eſt a Jenyſo, Syriae vrbe, vsque ad Serbonidem lacum. Addit, vt tractus huius longitudinem lectores ferme doceat, regionem iſtam, quae a Jenyſo vrbe ad Serbonidem lacum vsque porrigitur, non exiguam eſſe, eamque tridui iter aqua deſtitutam eſſe. Jam vero ſi HERODOTI aetate a Jenyſo Aegyptus incepit, Oſtracinem et Rhinococuram Aegyptias tum temporis fuiſſe ciuitates, non eſt quod vlli dubitemus.

b) Vrbem hancce iam in Aſia cenſeri debere male iudicat CELLARIVS lib. IV. cap. 1. p. 40. PLINIVS Hiſt. Natur. lib. V. cap. 12. eam ad Aegyptum reuocat.

c) Ita DIODORVS. *Straboni* lib. XVI. pag. 759. D. et pag. 781. B. Ῥινοκόλουρα dicitur, et ab eodem Phoeniciae vrbibus annumeratur.

d) Lib. I. p. 55. (p. 38. D.).

§. XI.

Continuatio.

Illa autem *Aegypti iuxta mare longitudo* a Plinthinete ſinu vsque ad Serbonidem lacum, ſummam ſexaginta ſchoenorum conficit, cumque vnus Aegyptiorum ſchoenus ſexaginta ſtadia contineat, (vid. Epimetr. III.) omnem Aegypti *longitudinem iuxta mare*, habita tamen curui litoris ratione, 3600 ſtadiorum eſſe videmus, (quae conueniunt cum 240 milliariis Romanis) *a*). Haec quidem ipſe HERODOTVS lib. II. cap. 6. Neque aliter Siculus Scriptor *b*), dictam longitudinem ſummam 2000 ſtadiorum conficere affirmans. Stadia enim Olympiaca apud ſcriptorem huncce intelligenda ſunt, quorum *duo et triginta* aequalia ſunt ſchoeno Aegyptiaco, teſte PLINIO Hiſtor. Natur. lib. XII. cap. 14. *c*). Eodem teſtante (Hiſtor. Natur. lib. II.

a) Aegypti *iuxta mare longitudinem* a Plinthinete ſinu vsque ad Serbonidem lacum conficit 246 milliaria romana ſecundum d'ANVILLIVM. (Memoires ſur l'Egypte pag. 11.)

b) Lib. I. p. 27. (p. 19. B.).

c) De ſtadiis Olympiacis in DIODORI loco intelligendis non cogitauit CASAVBONVS ad STRABONEM lib. XVII pag. 786. D. ideoque nec periculum fecit, poſſintne tres illi ſcriptores, HERODOTVS, DIODORVS et STRABO conciliari. EX ERATOSTHENE enim STRABO, vt hoc praemittamus, Aegypti longitudinem iuxta mare non quidem a Plinthinete ſinu vsque ad Serbonidem lacum, ſed a Peluſiaco oſtio vsque ad Canopicum 3300 ſtadia eſſe affirmat. Ad hunc vero STRABONIS locum ita CASAVBONVS: HERODOTVS *addit trecentos*; (HERODOTVM de alia

II. cap. 23.) ſtadium Olympiacum conuenit cum 125 paſſibus Romanis, 1000 autem paſſus Romani ſiue 8. ſtadia Olympiaca conueniunt cum vno milliario Romano. Hinc apparet, illa 2000 DIODORI ſtadia aequalia eſſe 250 milliariis Romanis, ita, vt ſumma ſit rationis ab vtroque ſcriptore inſtitutae conſenſio, detractis modo 10 milliariis Romanis, h. e. 2 Germanicis.

§. XII.

2. *Latitudo Aegypti inferioris et ſuperioris.*

Aegyptus, quae a mari vsque a Heliopolin, vrbem mediterraneam, ſita eſt, magis in latitudinem porrigitur, quam reliqua Aegyptus, eadem eſt depreſſa, arida quidem, at limoſa tamen *a*); inde vero ab Heliopoli meridiem verſus ad quatuor dierum nauigationem anguſtior deprehenditur, ſiquidem vtrumque Aegypti latus inde ab hac vrbe mon-

alia eaque maiori longitudine loqui non vidit CASAVBONVS) DIODORVS *vero ait, Aegyptum habere δισχιλιων σταδιων την παραθαλαττιον πλευραν.* (Obſerves, DIODORVM Olympiaca ſtadia intelligere.) *Infra legitur* (STRABO lib. XVII. p. 791. B.) *inter Peluſiacum et Canobicum oſtia, quae ſit Aegypti baſis, eſſe* 1300 *ſtadia,* (legendum hic omnino 3300 vt ſupra.) — *vt difficile ſit in tanta varietate de vera lectione vbique ſtatuere.* (Iam fere nulla locum habet in his locis varietas.) Diverſas veterum computationes conciliare ſtudet etiam LARCHERIVS Tom. II. not. 13. pag. 169—171.

a) Videat, HERODOT. lib. II. cap. 7.

montibus cinctum sit, alterum Arabicis alterum Libycis. Regionem inter vtrumque montem, vbi angustissima sit, porrigi tamen in latitudinem 200 stadia Aegyptiaca (h. e. $13\frac{1}{7}$ milliaria Romana sive $2\frac{2}{7}$ milliaria germanica) praecise affirmat HERODOTVS. Sed eum errasse satis constat. Quibusdam enim in locis valles inter commemoratos montes non latiorem esse ipso Nilo nunc quidem dubio caret *b*). Subiicit denique HERODOTVS, a finibus illorum montium latiorem rursus fieri Aegyptum *c*). Ceterum vallem illam olim maris sinum fuisse instar eorum locorum, quae sunt prope Ilium, Teuthraniam atque Ephesum, idem iudicat *d*).

§. XIII.

3. *Inferioris Aegypti longitudo a Pelusiaco ostio vsque ad Heliopolin.*

Refert porro HERODOTVS *a*), Heliopolin, h. e. finem Deltae versus meridiem, 1500 stadiis Aegyptiacis (h. e. 100 milliariis Romanis) a mari *b*) abesse. Idem testatur DIODORVS SICVLVS *c*), aggeri

b) Vid. Ill. t. D. MICHAELIS ad *Abulfedae* Aegypti descriptionem not. 42.

c) Vid. HERODOT. lib. II. cap. 8. Cf. DIODOR. SICVL. lib. I. p. 28. (p. 19. D.).

d) HERODOT. lib. II. cap. 10.

a) HERODOT. lib. II. cap. 7.

b) Intelligendum est ostium Sebennyticum.

c) lib. I. p. 52. (p. 36. D.).

Digitized by Google

aggeri inter Peluſium et Heliopolin *d*), Seſoſtris operi, eandem longitudinem tribuens *e*).

§. XIV.

Aegypti ſuperioris longitudo.

Quod attinet ad longitudinem Heptanomidis et Thebaidis, quas alii vno Aegypti ſuperioris nomine comprehendunt, diuerſa ſcriptores antiqui tradunt. Nos iam in iis ſubſiſtamus, quae HERODOTVS de Aegypti ſuperioris longitudine lib. II. cap. 9. memoriae prodidit. Eo autem teſte diſtantia

a mari vsque ad Thebas efficit - -	6120 ſtadia
a Thebis vsque ad Elephantinem	820 ſtadia

Ergo

d) Praeter Heliopolin, celeberrimam Aegypti vrbem, aliam adhuc Heliopolin, exiguam tamen, et parum cognitam in Arabia e regione Babylonis fuiſſe, primus omnium, quantum quidem ſcimus, vidit BRYANTVS, Vir doctiſſimus. Vid III. GATTERERI Allgemeine hiſtoriſche Bibliothek, Tom. XIV. p. 43-47. Quem nuper ſequutus LARCHERIVS, (Tom. II. not. 17. p. 173 et Tom. VII. pag. 171.) praeciſe negat, Heliopolin DIODORO lib. I. p. 52. (p. 36. D.) memoratam, eamdem eſſe, cuius meminit HERODOTVS. Hanc ſententiam nouam et hactenus inauditam peculiari diſſertatione ſe probaturum pollicitus eſt LARCHERIVS l. c.

e) Alio tamen loco, nimirum lib. I pag. 30. (p. 21. A.) DIODORVS vtrumque Deltae latus non niſi 750 ſtadia eaque Olympiaca, h. e. 93¾ milliaria Romana, continere affirmat.

Digitized by Google

Ergo omnis Aegypti longitudo a ſeptemtrione *a*) vsque ad meridiem (Elephantine enim vltima fere eſt Aegypti vrbs verſus meridiem) conficit - - 6940 ſtadia
quae aequalia ſunt $462\frac{2}{3}$ milliariis Romanis. Auſer ab hoc numero diſtantiam a mari vsque ad Heliopolin, et quidem - - - - 1500 ſtadia
teſte HERODOTO lib. II. cap. 7. (§. XIII.) vt intelligas, quaenam ſit Aegypti longitudo inde ab Heliopoli vsque ad Elephantinem, h. e. longitudo Aegypti ſuperioris. Haec igitur eſt 5440 ſtadia
quae conveniunt cum $362\frac{2}{3}$ milliariis Romanis.

Cum vero HERODOTVS lib. II. cap. 9. affirmat

Heliopolin abeſſe ab Thebis - 4860 ſtadiis
et mox

Thebas abeſſe ab Elephantine 820 ſtadiis

ita, vt longitudo totius Aegypti ſuperioris non ſit 5440 ſtadia, vti ante dixerat, ſed - - 5680 ſtadia
hoc teneamus neceſſe eſt, priorem illam computationem intelligendam eſſe de itinere terreſtri, poſteriorem vero, eamque longiorem diſtantiam de itinere Nilo per Aegyptum ſuſcepto, ob tortuoſum fluuii curſum longiore *b*).

§. XV.

a) Obſerves, HERODOTVM non dicere, a quonam loco, ſed ſimpliciter a ſeptemtrione.

b STRABONIS de Aegypti ſuperioris longitudine relationes lib. XVII. p. 780. A. cum HERODOTEIS conciliari plane nequeunt.

Digitized by Google

§. XV.

De Nilo, Aegypti fluuio a).

1. *Nominis origo.*

Nilus, ὁ Νειλος, vnicus quidem Aegypti fluvius, omnium tamen maxime memorabilis. De cuius nominis origine varia otiosorum hominum commenta quid referre attinet? Si cui placeat, ea penitius cognoscere, adeat, qui instar omnium est, IOBI LVDOLFI *Commentarium ad historiam suam Aethiopicam.* Nec magis varia eius, quae diuersis temporibus obtinuerunt, nomina (nam inter fluvios πολυωνυμους referendum esse Nilum, quis nesciat?) hic attinet recensere *b*). Nobis tamen temperare nequimus, quin eorum duo commemoremus, alterum minus notum, שיחור, quo a nigredine aquae suae Nilus Ies. XXIII. 3. vocatur, alterum *Abawi c*), quo ab Abessiniis insignitur; nec immerito. Omnium enim fluuiorum Nilum esse maximum consentitur, teste Gellio *d*) id quod sibi vult nomen *Abawi*; significat nimirum *patrem fluminum.* Quartum tamen locum post Gangem, Indum et Istrum Nilo assignant alii, v. c. STRABO lib. XV. pag. 702. B.

§. XVI.

a) De Nilo prolixa commentatio exstat IOBI LVDOLFI in Comment. ad hist. suam Aethiop. pag. 113. sqq.

b) Vid. DIODOR SIC. lib. I. p. 17. (p. 11. D.) PLINII Hist. Natur. lib. V. cap. 9. IOB. LVDOLFVS l. c. pag. 118. seqq.

c) Mire corruptum est hoc nomen. Vid. LVDOLFVS l. c.

d) Vid. A. GELLII Noct. Att. lib. X. cap. 7.

Digitized by Google

§. XVI.

2. *Nili fontes.*

De *Nili fontibus a*) licet neminem eorum, quos ipse quidem de iis percontatus sit, quidquam exploratum habuisse tradat HERODOTVS: fuerunt tamen iam inter ipsos veteres nonnulli, qui eos se adiisse affirmarent, nimirum Saita quidam ἱερογραμματευς *b*), et Iuba Rex, in cuius sententiam PLINIVS *c*) iurare videtur. Ac horum quidem ille inter Syenem et Elephantinem e medio montium Crophi et Mophi Nili fontes oriri contendit; (§. XXXIII.) hic vero haud longe ab Aethiopia Maurorum lacum esse refert, ex quo Nilus erumpat. Et licet recentiori aetate non desint, qui Nili fontes in Lunae montibus tandem inuentos esse affirment: tamen etiam nunc de harum relationum fide ambigitur *d*). Nec sane est, quod mireris, de Nili fontibus nec veteres, nec nostrae aetatis peregrinatores quidquam certi habere, quod referrent. Libya enim interior propter feruorem immensum adiri nequit. Nihilo tamen secius Nilum ad quatuor

a) De his multa congessit LVDOLFVS l. c. pag. 122. sqq.

b) HERODOT. lib. II. cap. 28. Conf. DIODOR lib. I. pag. 28. (p. 19. C.) p. 34. (p. 24. A.).

c) Histor. Nat. lib. V. cap. 9.

d) Vid. d'ANVILLE Memoires sur l'Egypte pag. 18. Memoires de l'Acad. des Inscript. Tom. XXVI. p. 46. *de la* BARRE apud LARCHER. Tom. II. p. 215. seqq.

Digitized by Google

tuor menſium iter vltra Elephantinem cognitum fuiſſe veteribus, iam ex HERODOTO conſtat *e*). Vid. §. XVII. XVIII.

§. XVII.

3. *Nili et regionis vltra Elephantinem natura a*).

De regionis et Nili natura vltra Elephantinem HERODOTVS lib. II. cap. 29. refert haec: ab hac vrbe ad ſuperiora proficiſcentem in regionem venire accliuem. Ibi neceſſe eſſe, nauigio vtrinque alligato, tamquam boue, pergere, et, ſi dirumpantur funes, nauim abire, raptam fluctus impetu. Per hanc regionem eſſe iter quatuor dierum, ibique Nilum eſſe tortuoſum, ſicut Maeandrum, et hunc in modum duodecim ſchoenos conficiendos eſſe; tunc vero peruenire proficiſcentem in campum planum et ad inſulam, nomine Tachompſo. (§. XXXIII. LXXII.) — Inſulae huic finitimum eſſe ingentem lacum, nauigandoque tralicientem eum in Nili alueum venire, coniunctum cum iſto lacu. Deinde itinere pedeſtri quadraginta dierum iter facientem pergere oportere propter

e) Ceterum Nilus μεσην ταμνων Λιβυην, *mediam permeare Libyam*, dicitur. Quod ſi ad mathematicam rationem reuocaueris, falſum eſt. Quare BOVHIERIVS (Recherches et Diſſert. ſur Hérodote Chap. 18. p. 190.) hoc HERODOTI loco Nili et fluuii, qui Niger appellatur, confuſionem citra ius inuenit.

a) Facile veniam me impetraturum ſpero, quod ea huc transtuli, quae de Nilo in Aethiopiae ſupra Aegyptum deſcriptione dicenda eſſent.

Digitized by Google

pter flumen, quoniam in Nilo ſcopuli et ſaxa multa deprehenderentur. Peragrata autem quadraginta dierum itinere pedeſtri ea regione, nauigio rurſus duodecim dies pergendum eſſe proficiſcenti, eumque, hoc itinere confecto, ad magnam demum vrbem venire, nomine Meroen.„ Pergit HERODOTVS cap. 30.„ proficiſcentem ab hac vrbe per alterum tantum temporis, quo ad eam ex Elephantine venerat, ad Automolos venire nauigando *b*). Conf. §. XVIII. not.

§. XVIII.

4. *Nilus quousque cognitus.*

Hactenus de Nili curſu vltra Elephantinem dicta colligenti apparebit, ad quatuor menſium partim nauigationem, partim pedeſtre iter Nilum cognoſci extra Aegyptum. HERODOT. lib. II. cap. 31. *a*) Addit HERODOTVS, flumen ab

b) In menſium numero, quos ab Elephantine Meroen verſus et Automolos proficiſcentes contexunt, diſſentit ARISTIDES Orat. Aegypt. pag. 346. Cuius diſcordiae cauſſa, quod ambo ex aliorum narrationibus, ſaepe numero ambiguis, acceperunt. Verba ſunt WESSELINGII ad HERODOT. lib. II. cap. 31.

a) Haec vide:

Ab Elephantine vsque ad inſulam Tachompſo peruenire licet nauigatione dierum - - -	4.
Ab inſula Tachompſo vsque ad vrbem Meroen itinere pedeſtri dierum - -	40.
et nauigatione dierum - -	12.

Ab

ab occidente fluere, vltra quid sit, neminem compertum habere, siquidem regio vltra Elephantinem prae nimio feruore sit deserta. Iam subiungit Etearchi, Ammoniorum regis, narrationem de expeditione audaculorum quorumdam iuuenum Nasamonum, per deserta Libyae facta, quam tamen narrationem, cum ea longior sit, paucisque comprehendi nequeat, transscribere animus non est. At quae in fine huius narrationis leguntur, strictim attingenda sunt, nimirum Nasamones illos perfecto per deserta multorum dierum itinere homines vidisse pusillos, et ab his per maximas paludes ductos, hasque transgressos in vrbem peruenisse, magno flumini, ab occidente in ortum fluenti, in quo conspicerentur Crocodili, adiacentem. Flumen hocce Ammoniorum Rex, referente HERODOTO cap. 33. Nilum esse iudicauit, cui sententiae subscripsit Auctor noster l. c. At vero non de Nilo cogitandum esse h. l, sed de Nigro flumine suo loco docebimus. Vid. §. LXVIII.

§. XIX.

5. *Cursus Nili in Aegypto. Ostia Nili.*

Sequitur, vt de *cursu* Nili in Aegypto, HERODOTO duce, exponamus. Sed hic quaedam sunt praefulcienda, quae ad Nili alueos pertinent.

Ab hac vrbe per alterum tantum temporis, quo Elephantine Meroen peruenisti, adire licet Automolos, nimirum nauigatione dierum - - - 56.

Ab Elephantine igitur ad Automolos iter dierum est, siue 4. mensium. HERODOT. l. II. c. 29. 30. 112.

Horum quidem naturam noſtra aetate non eamdem eſſe, qualis fuit HERODOTI tempore, ſponte largimur. Eorum enim alios, nimirum *Canopicum* et *Peluſiacum*, HERODOTI aeuo grandes, hodie omnino fere limo obductos eſſe, ita, vt eorum veſtigia vix conſpiciantur, alios vero, exiguos olim, v. c. *Bolbitinum*, nunc aquae copia abundare, recentiſſimi peregrinatores vno quaſi ore affirmant. Concedimus quoque, *Phatniticum a*) fluuium, STRABONIS aetate magnitudine tertium fuiſſe poſt *Canopicum* et *Peluſiacum*, *b*) licet HERODOTVS *c*) haud obſcure id *Sebennytico* tribuat. Contra vero grauiter et praeciſe affirmamus, 1) *ſaltem inde ab* HERODOTI *aetate vsque ad tempora* DIODORI, *et* STRABONIS, *addere non dubitamus*, PLINII *et* PTOLEMAEI, *hoc eſt annorum circiter* 450. *aut* 550. *decurſu*, *ipſum brachiorum Nili curſum vniuerſe a natura non mutatum eſſe*, *et* 2) *illos ſcriptores ad*

a) Φατνιτικον. Sic omnino legendum videtur, vti Κανωβικον, Βουκολικον, cet. licet in vno PLINIO ita ſcriptum reperiatur. In STRABONE legitur Φατνικον, apud DIODORVM lib. I. pag. 29. (pag. 20. D.) Φατμικον, apud PTOLEMAEVM Παθμητικον, et apud MELAM lib. I. cap. 9. PHATMETICUM. Φαθνικον, quod ſane reliquis omnibus praeferendum, e compendio ſcribendi ortum videtur, quod optime intellexiſſe PLINIVS dicendus eſt. Saltem perperam ſcribitur *Phatmeticum*, Φατμικον et Παθμηθικον, quoniam HERODOTVS, vt infra docebimus, fluuium hunc eiusque oſtium appellat Βουκολικον, quae vox idem fere ſignificat, ac Φατνιτικον.

b) STRABO lib. XVII. pag. 801. C.

c) HERODOT. lib. II. cap. 17.

Digitized by Google

ad vnum omnes, HERODOTVM *dico*, DIODORVM, STRABONEM, PLINIVM et PTOLEMAEVM, *iisdem nominibus, quibus singula Nili brachia eorumque ostia insigniunt, eadem brachia, eadem ostia innuere.* Ita profecto nos oportet ratiocinari, donec iustis argumentis euincatur contrarium. Et, si quae, his positis, in HERODOTO occurrant, quae cum sequiorum, quos nominauimus, scriptorum de Nili brachiis eorumque ostiis relationibus pugnare videntur, periculum faciendum est, possintne aliqua ratione, modo commoda et facili, conciliari.

Quibus ita constitutis, de fluuio ostioque *Canopico*, *Bolbitino*, *Sebennytico*, *Mendesio* atque *Pelusiaco* res iam expedita est; (horum enim mentionem faciunt omnes, quicunque Nili ostia attigerunt) quamquam de *Sebennytico* et *Mendesio*, item de *Saitico*, quem statim commemorabimus, seorsim quaedam probe tenenda sunt. Quaeritur autem, quinam sint duo illi fluuii, quorum alterum *Bucolici*, alterum *Saitici* nomine insigniuit HERODOTVS; neutrum enim occurrit in scriptoribus supra commemoratis, si a STRABONE *d*) recesseris, cuius locum, huc pertinentem, infra suo loco transscribemus. Eorum loco hi meminerunt fluuii ostiique *Phatnitici e*) et *Tanitici*, quos ignorat HERODOTVS. Verum singula iam aggrediamur suis locis enucleanda, explicanda, defendenda. Quod vt rite a nobis perficiatur, ante omnia necesse est, vt ipsum HERODOTVM audiamus. Ita autem ille *f*):

d) lib. XVII. pag. 802. *D*. *e*) Conf. Not. *a*).
f) lib. II. cap. 17.

Digitized by Google

Ὁ Νειλος (ex Libya per medios Aethiopes fluens in Aegyptum euadit, HERODOT. lib. II. cap. 22. et) ἀρξαμενος ἐκ των Καταδουπων, ῥεει, μεσην Αἰγυπτον σχιζων, ἐς θαλασσαν. Μεχρι μεν νυν Κερκασωρου πολιος ῥεει εἰς ἐων ὁ Νειλος. (vno alueo concluſus) το δε ἀπο ταυτης της πολιος, σχιζεται, τριφασιας ὁδους. (tripartito, ſeu in tira brachia) και ἡ μεν προς ἡω τρεπεται, το καλεεται Πηλουσιον στομα. ἡ δε ἑτερη των ὁδων προς ἑσπερην ἐχει, τουτο δε Κανωβικον στομα κεκληται. Ἡ δε δη ἰθεα των ὁδων τῳ Νειλῳ ἐσι ἡδε· ἀνωθεν φερομενος, ἐς το ὀξυ του Δελτα ἀπικνεεται. το δε ἀπο τουτου, σχιζων μεσον το Δελτα, ἐς θαλασσαν ἐξιει, οὐτε ἐλαχιστην μοιρην του ὑδατος παρεχομενος ταυτην, οὐτε ἡκιστα οὐνομαστην· το καλεεται Σεβεννυτικον στομα. Hactenus omnia expedita ſunt. Iam pergit HERODOTUS hunc in modum: ἐσι δε και ἑτερα διφασια στοματα ἀπο του Σεβεννυτικου (ſcribendum Βουκολικου, id quod ex ſequentibus apparebit) ἀποσχισθεντα, φεροντα ἐς θαλασσαν. Τοισι οὐνοματα κεεται ταδε· τῳ μεν Σαϊτικον αὐτεων, τῳ δε Μενδησιον.

Videtur igitur ab HERODOTO, e *Sebennytico* fluuio *Saiticum* (*Taniticum*; vide infra) et *Mendeſium* deducente, *Sebennytici* fluuii, et *Phatnitici* (*Bucolici* HERODOTI; de quo mox) facta eſſe confuſio. Sed rem non ita ſe habere, collatio cum iis, quae de *Buto* vrbe eiusque ſitu memoriae prodidit HERODOTUS lib. II. cap. 155. (§. XXIX.) facta, vnumquemque ſatis docet. Cum vero quicunque veterum Nili oſtia commemorant, ea ab occidente orientem verſus ita ſe excipere vno quaſi ore affirment: *Canopicum*, *Bolbitinum*, *Sebennyticum*, *Phatniticum*, *Mendeſium*, *Taniticum* et *Peluſiacum*, adeo-

que

que Mendesium et *Taniticum* e *Sebennytico* omnino deduci non posse appareat: vt saluus stet *canon vterque supra constitutus*, statuamus necesse est, loco vocis Σεβεννυτικου in HERODOTO legendum esse Βουκολικον Qui error vtrum ab ipso HERODOTO profectus sit, an ab alicuius librarii festinatione definiri non posse fatemur.

Subiicit HERODOTUS l. c. το δε Βολβιτινον στομα και το Βουκολικον ουκ ἐξηγνεα στοματα ἐστι, ἀλλ' ὀρυκτα. *Bolbitinus* fluuius quis sit, satis constat; est enim ille, qui Canopicum excipit. Quaeritur autem quis sit ille *Bucolicus*? Nonnulli *Heracleoticum* intelligunt, prouocantes ad haec STEPHANI BYZANTINI: Ἡρακλεοβουκολοι Αἰγυπτιακη συνοικια, *Heracleobucoli Aegyptiaca cohabitatio.* At vero Heracleoticum fluuium eumdem esse ac Canopicum, docent nos DIODORVS *g*) aliique. *Bucolici* fluminis mentionem faciunt non nisi HERODOTVS et EVSTATHIVS *h*). Iam cum prope eius ostium fuisse videantur τα βουκολικα, *famosa latronum domicilia i*), cumque aliunde cognitum sit, inter Sebennyticum et Phatniticum fluvium fuisse Ἑλεαρχιαν *k*), h. e. palustrem ac depressam regionem, mari vicinam, (HERODOTO dicitur *Elbo insula*; §. XXIX.) denique cum alueorum

g) Lib. I. pag. 29. (p. 20. D.)

h) ad Dionys. Perieg. v. 226.

i) Haec Βουκολικα eleganter descripta sunt ab HELIODORO lib. I. p. 10. et ACHILLE TATIO lib. IV. pag. 250. seqq. tamquam loca palustria ad struendas insidias et ad praedae receptacula commodissime posita.

k) Vid. HIEROCLIS Synecdem. pag. 726. ibique WESSELING.

Digitized by Google

Nili nullus niſi Phatniticus relinquatur, quin Phatniticum et Bucolicum flumen vnum idemque ſit, non eſt, quod vlli dubitemus. Adde, quod ea non diſcrepare, ipſum nomen docet.

Hactenus dictis de ſingulis fluuiis nonnulla ſubiungemus; incipiamus autem ab occidente.

1. *Canobicus fluuius*, το Κανωβικον ϛομα, *l*) ab oppido, quod eius oſtio adiacet, *Canobo*, dictus *m*), a nonnullis *n*) *Heracleoticus*, το Ηρακλεωτικον ϛομα, ab *Herculis Aegyptii fano*, iuxta eius oſtium poſito *o*), vocatur; interdum etiam *Naucraticus p*), a Naucrate vrbe, quae ſita eſt ad hunc fluuium. Canopici, HERODOTI aetate alueorum Nili

l) Sic conſtanter apud ſcriptores Graecos fluuii huius nomen ſcriptum reperitur. Romani ſcribunt *Canopicum*. Vid. TACIT. Ann. lib. II. cap. 60. PLINII Hiſt. Nat. lib. V. cap. 10. POMP. MELA lib. I. cap. 9. — Ceterum hunc alueum, aggere, meridiem verſus congeſto, alio deduxit Menes, primus Aegypti rex. HERODOT. lib. II. cap. 99.

m) Nolumus recedere a CELLARII ſententia, priſca ac probata, (Conf. PLIN. l. c.) qui Nili alueos ab oppidis ipſis alueis aut eorum oſtiis adiacentibus appellatos eſſe contendit. Nec omnino eam reiicit BRYANTVS, quamquam alia de alueorum nominum origine ſententia, quam ipſe quidem excogitauit, magis, vt ſolet fieri, ipſi arridet. Ea legitur in GATTERERI Allg. hiſt. Bibl. Tom. XIV, p. 48. 49.

n) DIODOR. lib. I. pag. 29. (p. 20. D.) PTOLEM. lib. IV. cap. 5.

o) HERODOT. lib. II. cap. 113.

p) Vid. PLINII Hiſt. Nat. lib. V. cap. 10. Male tamen PLINIVS Heracleoticum fluuium et Naucraticum a Canopico diſtinguit.

Digitized by Google

Nili forte maximi, vestigia tantum supersunt in fossa, quae *Maadie* h. e. *Traiectus*, nuncupatur, quoniam hunc traiiciunt ii, qui Alexandria vrbem *Raschid*, seu *Rosette* proficiscuntur *q*).

2. *Bolbitinus fl.* το Βολβιτινον στομα, SCYLACI et STRABONI *r*) Βολβιτικον dictus, hominum arte et industria effossus est. Nomen accepit a vicino oppido *Bolbitine*, quod tamen HERODOTO non memorarur. Ipsum ostium, nunc cum ab adiacente vrbe *Raschid* s. *Rosette* nuncupatur *s*), tum *Bahire* nomine venit. *t*).

3. *Sebennyticus fl.* το Σεβεννυτικον στομα, ab oppido *Sebennyto* dictus. A Sebennytico ostio in ortum proficiscenti sunt *Pseudostomata duo* secundum PTOLEMAEVM, *Pineptimi* et *Diolcus*, quae excipit

4. *Phatnitivus fl.*, το Φατνιτικον στομα, etiam Phatmeticus dictus, (Conf. not. a) quem non male cum *Bucolico* HERODOTI componi supra probauimus *u*).

q) D'ANVILLE Memoires p. 49. Geogr. Anc. Abreg. Tom. III. p. 11.

r) Lib. XVII. p. 801. C.

s) D'ANVILLE Memoires pag. 76. POCOCKE Tom. I. pag. 23. 24.

t) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 12.

u) Bucolicum Nili ostium cum Sebennytico confudit D'ANVILLIVS Memoires sur l'Egypte pag. 48.

Digitized by Google

5. *Mendeſius fl.*, το Μενδησιον ϛομα, vocatus ab oppido, cui *Mendes v)* nomen. Oſtium eius recentiori aetate *Dibe w)* appellari coepit.

6. *Saiticus fl.*, το Σαϊτικον ϛομα. Hunc fluuium non diuerſum eſſe ab eo, qui *Taniticus* dicitur ab vrbe ei adiacente, quae *Tanis* appellatur, STRABONIS *x)* auctoritate affirmamus, licet libere profiteamur, nos non intelligere, vnde *Saiticus* potuerit appellari, cum *Saites* nomus et vrbs *Saïs* longe hinc diſtent. Suſpicamur autem, nec forſan immerito, vetuſtiſſimum mendum ex HERODOTO nondum ſublatum eſſe, et pro Σαϊτικον, (HERODOT. lib. II. cap. 17. fine) ſcribendum eſſe Τανιτικον. Quam ſi probaueris coniecturam et res expedita eſt, et vero intelliges, cur dixerit STRABO *y)* quosdam *Taniticum* oſtium appellare *Saiticum*. Fluuii Tanitici oſtium hodie *Eumme-faregge z)* dicitur.

7. *Peluſiacus fl.*, το Πηλουσιακον ſeu Πηλουσιον ϛομα, a Peluſio oppido nomen accepit.

Septem Nili oſtia hodieque numerantur *a)*; ſingulorum vero natura tot annorum ſeculorumque de-

v) STRABO lib. XVII. pag. 802. D.

w) D'ANVILLE l. c. p. 46. et Geogr. Abr. Tom. III. p. 16.

x) l. c. *y)* l. c.

z) D'ANVILLE Memoires pag. 46. Geogr. Anc. Abr. l. c. p. 17.

a) Audiendi plane non ſunt recentiores illi peregrinatores, quorum alius quatuor tantum Nili oſtia eſſe affirmat, alius tria recenſet, alii non niſi duo eſſe docent. Singulos laudat IOB. LVDOLFVS in Comment. ad Hiſt. ſuam Aethiop. pag. 115.

Digitized by Google

decurſu ſic mutata eſt, vt nunc quidem ea longe alia ſit. Canopicus fluuius et Sebennyticus non ea aquae copia abundant noſtra aetate, qua priſco aeuo, maximeque HERODOTI tempore abundabant. *b*) Mendeſii veſtigia vix ſupereſſe, Peluſiaci plane nulla, nuper narratum accepimus. *c*) Aquae maxima vis nunc quidem per Phatniticum (Bucolicum HERODOTI) oſtium et per Bolbitinum *d*) mari infertur.

Ceterum vt in multis aliis, quae ad Aegypti Geographiam pertinent, a d'ANVILLIO recedit BRYANTVS, ita etiam in conſtituendo alueorum Nili curſu, id quod ex comparatione tabularum Aegypti geographicarum, ab vtroque exhibitarum, videre eſt.

§. XX.

6. *Nilus, quam regionem inundet.*

Nilus, ubi plurimus eſt, praeter Deltam interdum etiam partem Libyae et Arabiae duorum dierum iter et amplius adhuc minusue inundat *a*). Sed vt exigua quoque aqua omnis Delta beneficio inundationis frueretur, Seſoſtris, Aegyptiorum rex, per omnem Deltam foſſas duci curauit, eisque effecit, ut tenues etiam

b) Vid. SHAW Tom. II. pag. 20. Add. POCOCKE Beſchreibung des Morgenlandes Tom. I. pag. 29. ſeqq. et pag. 433. ſeqq. verſ. vern. D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 15.

c) SAVARY Tom. I. pag. 335. Conf. eius mappam Geogr.

d) SHAW l. c. SAVARY l. c. pag. 340.

a) HERODOT. lib. II. cap. 19.

Digitized by Google

etiam diluuies omnem Aegyptum inundarent. *b*) Exundante autem Nilo urbes insulis, reliqua omnis Aegyptus mari similis est *c*). Nostra aetate Delta a Nilo non amplius inundatur, si fides habenda est recentissimo peregrinatori *d*).

§. XXI.

7. *Quousque crescat et decrescat Nilus.*

Ab aestiuo solstitio incipiens centum dies intumescit Nilus et totidem fere dies decrescit, estque exiguus per totam hyemem ad aestiuum rursus solstitium *a*). Exsiccatis agris, seminibusque in eos coniectis, sues ad conculcandum inducunt Aegyptii, ita, vt nec arent nec occent. Agricultura autem sic sine magnis impensis, molestiis et laboribus administrata fruges colligunt uberrimas *b*). Causas incrementi Nili HERODOTVS percipere potuit nullas, licet se nihil prius aut antiquius habuisse profiteatur, quam ut eas cognosceret. Nec exquirere potuit, quamquam maiorem in modum id noscendi cupidus, cui omnium fluminum solus Nilus efflantes auras praeberet nullas *c*). Sententiam suam hac de re aperit alio

b) *Idem.* lib. II. cap. 108.

c) *Idem.* lib. II. cap. 97. conf. DIODOR. lib. I. p. 33. (p. 23. B.) STRABO lib. XVII. p. 788. D.

d) Vid. Lettres sur l'Egypte - par M. SAVARY, p. 14.

a) HERODOT. lib. II. cap. 17. Conf. DIODOR SICVLVS lib. I. p. 32. 33. (p. 22. D. sqq.)

b) HERODOT. lib. II. cap. 14. conf. DIODOR. lib. I. pag. 32. (p. 22. D.)

c) HERODOT. lib. II. c. 19.

Digitized by Google

alio loco *d*). Sed inanem appellat veterum opinionem, qui affirmarunt, Nilum nullos emittere vapores, IOBVS LVDOLFVS *e*), cauſſamque, qua ad id ſtatuendum ſe adduci paſſi ſint multi, inde repetendam eſſe iudicat, quoniam nulli vapores conſpicerentur *f*). Cuius rei cauſſam hanc dicit, quoniam vapores in Aegypto frigore non conſtringerentur, ut oculis videri poſſent.

§. XXII.

8. *Variae de incremento Nili ſententiae.*

Varias autem de incremento Nili opiniones in medium profert HERODOTVS lib. II. cap. 20. ſqq. *a*) et quidem primum cap. 20. ſententiam *Thaletis Mileſii b*), tum cap. 21. aliam opinionem *ſacerdotibus Aegyptiis* a DIODORO SICVLO tribu-

d) l. c. cap. 27. DIODOR. lib. I. pag. 35. 36. (p. 25. A. B.)

e) Commentar. ad Hiſtor. Aethiop. pag. 117.

f) l. c. pag. 118.

a) Conf. DIODOR. lib. I. p. 33. ſeqq. (p. 23. C. ſeqq.

b) Conf. DIODOR. l. c. p. 35. (p. 24. D.) *Thales* Eteſiarum flatus oſtiis Nili aduerſos obſtare affirmabat, ne fluctus ſuos in mare effundat. Quae contra hanc ſententiam monenda ſunt, habes apud HERODOTVM et DIODORVM ll. cc. Non defuerunt tamen, qui affirmarent, Eteſias eorumque in Nili aeſtate exundantis oſtia vehementem impetum inter cauſſas increſcentis Nili referendum eſſe. Eteſiae autem οὐδεν τι μαλλον ἀπο της ἀρκτου ἠπερ της ἑσπερας, *non magis e ſeptemtrione, quam occidente ſpirant.* ARISTOTEL. Meteorol. lib. II. cap. 6. Conf. WESSELING. ad HERODOT. pag. 113.

butam, *c*) denique *Anaxagorae* ſententiam *d*), quam tribus argumentis refellit cap. 22. Suam autem ipſius de Nili incremento ſententiam, quam cap. 24. 25. proponit refutatam habes apud DIODORVM, *e*) qui multas alias veterum Philoſophorum de incremento Nili opiniones *Euripidis*, *Democriti*, *Ephori*, *Philoſophorum Aegyptiorum*, *Oenopidae et Agatharchidis*, cum lectoribus ſuis communicauit.

Quod reliquum eſt, loca de incremento Nili eiusque cauſſis, quas Phyſicis Geographia indagandas relinquit, e diuerſis auctoribus, *Plutarcho*, *incerto Auctore*, *Theophylacto*, *Diodoro Siculo*, *Ariſtide*, *Strabone*, *Dione*, *Heliodoro* et *Theodoreto* collecta habes in editione *Herodoti Weſſelingiana* pag. 787-802. Haud dubie, vt verbo dicamus, imbres aeſtiui, qui in Aethiopia ſupra Aegyptum cadunt, cauſſa intumeſcentis Nili habendi ſunt. *f*) Recentiorum hac de re relationes ſuppeditabit LARCHERIVS Tom. II. pag. 158-169

§. XXIII.

9. *Incrementum Nili maximum.*

Moeride Aegypti rege imperium tenente Nilus octo cubitos auctus Aegyptum inferiorem ſatis inundabat; HERODOTI autem aetate, praeterlapſis fere 900. annis, ex quo Moeris in viuis eſſe

c) lib. I. p. 34. (p. 24. B.)

d) Confer. DIODOR. l. c. p. 35. (p. 24. D.)

e) l. c. p. 36. (p. 25. B.)

f) Vid. et DAPPERVS pag. 58.

Digitized by Google

esse desierat, iustum Nili incrementum XV. aut XVI. cubitorum erat; *a*) minores aquae non omnem Aegyptum inundabant *b*). Pheronis, Sesostris filii, tempore Nilus non sine magno eorum, qui Deltam incolebant, detrimento, decimum octauum cubitum impleuit. *c*) Quibus egregie confirmatur eorum sententia, qui Aegyptum Nili donum esse credunt.

§. XXIV.

Paludes.

Atque haec quidem de Nilo dicta sufficiant. Sequitur, ut de *paludibus* Aegypti, HERODOTO duce, exponamus.

1. *Moeris*, ἡ Μοιρις, lacus, quibusdam v. c. DIODORO ἡ Μυρις, *Myris*, dictus, a Moeride siue Myride, Aegyptiorum rege, eoque ipsius lacus au-

a) Cubitos XV. aut XVI. Nilum adscendisse et arua inundasse olim *argumento est Nili figura XVI. liberis circaludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur* in PLINII Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. 7. vbi vid. *Harduin.* cui iungendus SHAW Voyages T. II. p. 181. quantum aquis seriore tempore terra ea increuerit, ex Arabibus docens.

b) HERODOT. lib. II. cap. 13.

c) HERODOT. lib. II. cap. 111. Confer. STRABO lib. XVII. p 788. Aquae Niloticae dulcedo et salubritas omnis aeui scriptoribus valde laudatur. Vid. IOBI LVDOLFI commentar. ad hist. Aethiop. p. 115. seqq.

Digitized by Google

auctore *a*) appellatus est *b*). De cuius lacus situ et ambitu cum nostra aetate res expedita videatur, hic nudam fere eorum recensionem dabimus, quae relatu. digniſſima de eo ab Auctore nostro commemorata sunt. Memorat autem HERODOTVS, Moeridem lacum paullo infra Crocodilorum vrbem et Labyrinthum situm esse *c*), et a meridie versus septemtrionem pertinere; porro ambitum eius 3600 stadiorum, siue 60 schoenorum, qui conueniunt cum 240 milliariis Romanis, complecti, eius autem altitudinem, vbi maxima, 50 Orgyiarum esse; denique fossam e Nilo in lacum huncce ductam ad recipiendum aquas fluuii redundantes, et ad reddendum eas, si forte minus, quam expediret, Nilus restagnaret *d*). Arte humana factam esse paludem hanc, docent nos duae illae Pyramides in medio lacu exstructae *e*). HERODOTVM nullum alium lacum significare, nisi quem nos Moeridis nomine vulgo appellamus, contra d'ANVILLIVM, qui duas eiusdem nominis Aegypti paludes fuisse putat, (Memoir. pag. 149 - 162.) asseruit DIT-

a) Aegyptii nostri temporis maxima fere et vtiliſſima Iosepho, cuius vnius ex summa antiquitate apud illos remansit memoria, tribuere soliti, Nilum quoque in Moeridis lacum deduxisse ferunt, ideoque canalis ille magnus in finibus Aegypti superioris ex Nilo per Libyae montis vallem in Moeridis lacum ductus, qui *Bachr Iusef* h. e. *mare Iosephi*, interdum etiam *canalis Iosephi* dicitur. Videat Ill. MICHAELIS ad Abulfedam not. 114. pag. 54.

b) HERODOT. lib. II. cap. 101. Conf. DIODOR. lib. I. p. 48. (p 34. A.)

c) HERODOT. l. cit. c. 148.

d) l. c. cap. 149. *e*) l. c.

Digitized by Google

DITMAR. (Beſchreibung des alten Aegypten p. 72. ſeqq. cui iungendus LARCHER. II. 478 - 483.) — Ipſius lacus hodiernum nomen eſt *Birket il kerun*. De reditu ex piſcibus huius lacus egit HERODOTVS lib. II. cap. 149. conf. DIODORVS lib. I. p. 48. (p. 34. A.)

Prope Sain urbem *lacus exiguus* memoratur HERODOTO lib. II. cap. 170. cuius tamen nomen Auctor noſter non profitetur.

Buticus lacus, ἡ Βουτικη λιμνη, tantum non diſerte ab HERODOTO commemoratur. Lacus magnus et profundus, cui Buto urbs adiacet *f*) quis alius eſt, niſi lacus notiſſimus qui hoc ipſo nomine inſignitur? Effunditur in hanc paludem Nili alueus, qui PTOLEMAEO Thermutiacus amnis audit et per oſtium Sebennyticum in mare effluit *g*). *Buticus* lacus hodie appellatur *Berelos h*).

Serbonis, ἡ Σερβωνις, lacus, Caſio monti vicinus *i*). Quem lacum licet HERODOTVS lib. II. cap. 6. finem conſtituat inter Aegyptum et Palaeſtinam, hanc tamen ſententiam lib. III. cap. 5. ipſe tollit, regionem, quae eſt a Ienyſo, vrbe Syriae, ad lacum Serbonidem vsque ad Aegyptum reuocandam eſſe, diſertis verbis pronuncians. (vid. §. XI.) Latitudine, referente DIODORO, perquam

f) l. c. cap. 156.

g) Videat. STRABO lib. XVII. pag. 802. A.

h) D'ANVILLE Mémoires pag. 43. 78.

i) HERODOT. lib. III. cap. 5. Lacus meminit HERODOTVS etiam lib. II. cap. 6.

quam angustus est lacus noster *k*); sed profunditatis admirandae; longitudine 200 fere stadiorum. Videat. DIODOR. lib. I. pag. 26. (p. 18. C.) Narrat ibidem *scriptor Siculus*, perpetuum austri flatum magnam vim arenae lacui ingerere. Αὐτη δε, ita pergit, το μεν ὑδωρ κατα την ἐπιφανειαν ἀσημον ποιει, τον δε της λιμνης τοπον συμφυη τη χερσῳ και κατα πολυ ἀδιαγνωστον. Διο και πολλοι των ἀγνοουντων την ἰδιοτητα του τοπου μετα στρατευματων ὁλων ἠφανισθησαν της ὑποκειμενης ὁδου διαμαρτοντες h. e. *haec enim aquae superficiem obscurat, paludisque adspectum terrae ita assimilat, ut omnino discerni nequeat. Ideo multi natura loci non praecognita cum totis exercitibus ibi absorpti periere, cum a vero itinere aberrassent.* Sed reliquus etiam locus DIODORI de exitiosa hac palude dignus est, qui legatur. PLINIVS Hist. Nat. lib. V. cap. 13. de Serbonide lacu ita loquitur: *Idumaea incipit et Palaestina ab emersu Serbonidis lacus l), quem quidam* 1500 *passuum circuitu tradidere.* HERODOTVS *Casio monti applicuit. Nunc est palus modica.* Olim per ἐκρηγμα tantum cum mari cohaeruit *m*), nostra vero aetate sinus maris potius, quam lacus vocandus est *n*). Appellatur hodie *Sebaket Bardoil* siue *lacus de Baudouin o*).

§ XXVI.

k) Maximam eius latitudinem 50 stadiorum esse affirmat STRABO lib. XVI. pag. 760. A.

l) HERODOTI aeuo a Ienyso, Syriae vrbe, incepit Aegyptus. Vide quae supra monuimus §. XI.

m) STRABO lib. XVI. pag. 760. A.

n) POCOCKE Beschreibung des Morgenlandes Tom. I. pag. 29.

o) Vid. SHAW Voyages Tom. II. pag. 18. D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. II. pag. 18. et LARCHER Histoire d'Hérodote Tom. II. not. 15. pag. 172.

Digitized by Google

§. XXV.

Aegypti diuiſio.

Reſtant nonnulla de *Aegypti diuiſione* dicenda. Eam autem alii in *tres partes* diuidunt, *Deltam*, *Heptanomidem* et *Thebaidem*, alii in *duas*, *inferiorem* et *ſuperiorem* *a*). Praeterea omnis Aegyptus diuidebatur in νομους, *nomos*, h. e. praefecturas, interprete PLINIO *b*), *diuiditur* (Aegyptus) *in praefecturas oppidorum, quas nomos c) vocant.* In definiendo autem eorum numero tantam veterum Auctorum DIODORI *d*), PLINII *e*), PTOLEMAEI *f*), diſſenſionem eſſe intelligimus, vt aliis temporibus alium fuiſſe nomorum numerum haud forſan immerito affirmaueris. DIODORVS cum quo conſentit STRABO *g*), Seſoſtrem memorat totam Aegyptum in XXXVI νομους diuiſiſſe, ſingulisque Nomarchas praefeciſſe, qui regiorum reditvum curam gererent. HERODOTVS vero

 omnem

a) Aegypti diuiſio, Graecis probata, in την κατω, την ἀνω et την ἀνωτατην χωραν iure reprehenditur.

b) Hiſtor. Natur. lib. V. cap. 9.

c) De nomis multa congeſſit BOCHARTVS Phaleg. lib. IV. c. 24. p. 294. C. ſeqq.

d) lib. I. pag. 50. (p. 35. A.)

e) Hiſt. Natur. lib. XXXVI. cap. 13.

f) lib. IV. cap. 5.

g) lib. XVII. pag. 787. C. Addit STRABO l. c. nomos rurſus diuiſos fuiſſe in toparchias, toparchias rurſus in portiones alias, quarum minimae arua erant, adeoque rationem tam ſubtilis et diligentis diuiſionis ſubiungit, Sed hoc monuiſſe ſufficiat.

Digitized by Google

omnem Aegyptum in nomos diuiſam eſſe pronuncians *h*), recenſionem XVIII nomorum ſubiicit. At vero Aegyptum HERODOTI aetate in plures nomos fuiſſe diuiſam haud difficili negotio euinci poterit. Nam horum nomorum ii, quorum nomina etiam in tabula Aegypti *d'Anuilliana* leguntur omnes, item *Papremites*, *Onuphites* et *Myecphorites*, haud dubie et reliqui, *Chemmites*, Ναθους *dimidia pars*, *Aphthites*, *Anyſius* et *Thebaius* nomi fuerunt Aegypti inferioris. Vnde apparet, *Heptanomidis* et *Thebaidis* ne vllum quidem nomum HERODOTO commemorari. Porro nomi, qui Ναθα appellatur, non niſi dimidiam partem commemorat. Denique locis laudatis eorum nomorum inſtituit recenſionem, quos milites Aegyptii, *Hermotybies* et *Calaſirii* dicti, tenebant, nec veriſimile eſt, vnumquemque Aegypti nomum militum horum partem inhabitaſſe. Sunt autem nomi, quos nominauit, hi: *Buſirites*, (XVI. *i*) *Saites*, (IX.) *Chemmites*, *Papremites*, *Inſula Proſopitis*, (XII.) Ναθους *dimidia pars* *k*), *Thebaius* *), *Bubaſtites*, (XXV.) *Aphthites*, *Tanites*, (XX.) *Mendeſius*, (XVIII.) *Sebennytes*, (XIII. XIV.) *Athribites*, (XXIV.)

h) lib. II. cap. 164-166.

i) Numeri vncinis incluſi indicant, quotus ſit vnusquisque nomus in tabula Aegypti antiquae D'ANVILLIANA. Quibus vero nomorum nominibus nulli adiecti ſunt numeri, vncinis incluſi, ii nomi in tabula iſta non leguntur.

k) Vide §. XXX. princip.

*) Θηβαϊος νομος. Non confundi debet hic nomus cum *Thebaico*, quo nomine omnis etiam Aegyptus olim inſigniebatur. HERODOT. lib. II. cap. 4. 91.

Digitized by Google

(XXIV.) *Pharbaethites*, (XXVI.) *Thmuites*, (XVIII) *Onuphites*, *Anyſius*, et *Myecphorites*, qui eſt in inſula iuxta Bubaſtin urbem ſita.

Aegyptus ſuperior ſenſu ſtrictiori, (ſenſu enim latiori ad Aegyptum ſuperiorem pertinet etiam Heptanomis) quae et Thebais dicitur, hodie appellatur *Said* *l*), quae vox apud Arabes regionem editam denotat. Male haec Aegypti pars vsque ad urbem Cairo extenditur a D'HERBELOTIO pag. 579., quoniam hac ratione omnem quoque Heptanomidem eo nomine complectitur. — Heptanomis noſtra aetate *Voſtani* appellatur, quo nomine regio intermedia ſignificatur. Ita autem appellari Heptanomidem, habita Aegypti ſuperioris et inferioris ratione, nemo non videt *m*). — Aegyptus inferior hodie *Bahri*, alias *Rif*, vocatur, h. e. regio maritima; poſterius tamen nomen oram maritimam magis, quam omnem Deltam ſignificat *n*).

l) D'HERBELOT. p. 579. b. p. 735. b. D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 7.

m) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 7. *Voſtani* interdum *Said* nomine comprehenditur, v. c. ab *Abulfeda*. Vid. D'ANVILLE Mémoir. ſur l'Egypte. p. 36. 39.

n) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abrégée. Tom. III, pag. 6.

Digitized by Google

CAPVT II.

SINGVLARVM REGIONVM, GENTIVM, VRBIVM, OPPIDORVMQVE DESCRIPTIONEM COMPLECTENS.

§. XXVI.

Recenſio exterarum gentium, quae Aegypti loca habitaſſe Herodoto dicuntur.

Expoſitis nunc iis, quae *de Aegypti nomine, finibus, magnitudine, fluuio, paludibus, et diuiſione* commemoranda erant, ad *ſingularum regionum, gentium, vrbium, oppidorumque Aegypti* deſcriptionem accedimus eo ordine exhibendam, quem ſupra conſtituimus. Incipiamus igitur *a recenſione exterarum gentium, quae Aegypti loca habitaſſe* HERODOTO dicuntur.

Sub imperio Pſammetichi, Aegyptiorum regis, *Iones* et *Cares*, piraticam facientes, ad Aegyptum applicabant, ibique praedabantur. Pſammetichus pro rerum ſuarum conditione, quae tunc erat, aduenas non modo non repulit, ſed potius amicum ſeſe iis exhibuit et precibus multaque pollicitus ab iis impetrauit vt ipſi contra vndecim illos reges, regnum affectantes, auxilium ferrent. Mox Pſammetichus horum aduenarum auxilio regno potitus, (HERODOT. lib. II. cap. 152.) vt tanti beneficii memorem ſe oſtenderet, fidemque exſolveret, *Ionibus* et *Caribus* loca habitanda dedit, quae

Digitized by Google

quae Στρατοπεδα dicuntur. Sita erant haec loca paullo infra Bubaſtin vrbem ad vtramque Peluſiaci fluuii ripam, eorumque rudera HERODOTI aetate adhuc cernebantur. (§. XXXI.) Poſtea Amaſis rex aduenas hos inde ſummotos Memphin tranſtulit. (HERODOT. lib. II. cap. 154.) Conf. §. XXXII. Regnante Aprye 30000 *Ionum* et *Carum* in Aegypto numerata ſunt. (HERODOT. lib. II. cap. 163.)

Ante Pſammetichum nulla exſtiterunt in Aegypto graeci ſermonis veſtigia. Cum vero, hoc rege, *Ionес* et *Carес* ad Aegyptum appellerent, his rex pueros Aegyptios commiſit graeca lingua imbuendos, a quibus linguam graecam edoctis oriundi, qui HERODOTI aetate in Aegypto erant interpretes. (HERODOT. lib. II. c. 154.) Sed haec obiter. Redimus ad recenſendas exteras gentes, quae HERODOTI aetate Aegypti quaedam loca inhabitabant. Amaſis rex haud minus ac Pſammetichus Graecis amicum ſeſe exhibuit. Scilicet iis, qui rerum ſuarum ſedem in Aegypto collocare animum induxerant, *Naucratin* urbem habitandam dedit, (§. XXIX.) quae urbs antiqua aetate vnicum Aegypti emporium fuit, teſte HERODOTO lib. II. cap. 179. Aliis, qui non niſi mercaturae exercendae cauſſa Aegyptum adibant, permiſit, ut templa et ſacraria exſtruerent. Quo factum eſt, vt ex IONIBVS *Chii*, *Tei*, *Phocenſes* et *Clazomenei*, ex DORIBVS *Rhodii*, *Cnidii*, *Halicarnaſſenſes* et *Phaſelitae*, denique ex AEOLIBVS *Mitylenaei* maximum illud et longe celeberrimum ſacrarium, *Hellenium*, exſtruerent. Praeterea *Aeginetae* aedificarunt templum in honorem Io-

vis, *Samii* aliud, Iunoni ſacrum, et in Apollinis honorem templum exſtruxerunt *Mileſii*. (HERODOT. *lib.* II. cap. 178.)

Supereſt, vt commemoremus *Samios ex Aeſchrionea tribu*, qui Oaſin magnam habitabant, (HERODOT. lib. III. cap. 26. §. XXXII.) et *Phoenices ex Tyro*, regionem prope Memphin, ſorte in ipſa Memphi incolentes, quae *Tyriorum caſtra* appellatur. (HERODOT. lib. II. cap. 112. §. XXXII).

AEGYPTI INFERIORIS DESCRIPTIO.

§. XXVII.

1. *Deſcriptio partis Aegypti inferioris occidentalis, quae eſt extra Deltam.*

Vrbes; *Oppida. Sinus Plinthinetes.*

In huius inferioris Aegypti partis deſcriptione primo loco commemorandus nobis venit

Sinus Plinthinetes, ὁ Πλινθινήτης κόλπος, aliis Πλινθυνήτης dictus, quem Aegypti terminum (verſus Libyam, adeoque occidentalem) conſtituit HERODOTVS lib. II. cap. 6. Nomen haud dubie ſortitus eſt a *Plinthina* (ἡ Πλινθίνη ſ. Πλινθύνη), vrbe Aegypti maritima inter Tapoſirin et Nicii pagum a), cuius tamen in HERODOTO ne nomen quidem occurrit. Noſtra aetate appellari coepit *Sinus Arabum b)*.

Loca

a) Vid. STRABO lib. XVII. pag. 799. C. STEPHAN. BYZ. h. v.

b) D'ANVILLE Memoires ſur l'Egypte pag. 63.

Digitized by Google

Loca maritima:

Canobus, ὁ Κανωβος *c*), oppidum, quod Canopico Nili fluuio oſtioque nomen dedit. *Condidere id* (oppidum) *Spartani*, inquit TACITVS *d*), *ob ſepultum illic rectorem nauis, Canopum, qua tempeſtate Menelaus, Graeciam repetens, diuerſum ad mare terramque Libyam deiectus eſt.* At quamquam eadem narrata accepimus a STRABONE *e*), repetita vero habemus a SERVIO *f*), aliisque, recens etiam a d'ANVILLIO: (Memoires pag. 67.) falſo tamen veteres ad Menelai gubernatorem Canopum vrbem noſtram retuliſſe certum eſt *g*). Diſtat Canopus, referente STRABONE *h*), 120 ſtadiis = 12. mill. Rom. *i*) terreſtri itinere. Ciues libidine et laſciuia, quibus STRABONIS et SENECAE aeuo indulgebant, vrbi ſuae infamiae notam inuſſerunt *k*). Ceterum Canopum exiguum fuiſſe locum ex muri

D 5 par-

c) HERODOT. lib. II. cap. 15. STRABONI lib. XVII. pag. 800. C. D. et STEPHANO B., vti HERODOTO, oppidum hocce *Canobus* dicitur; aliis *Canopus*, v. c. TACITO Annal. lib. II. cap. 60. PLINIO Hiſt. N. lib. V. cap. 11. MELAE lib. I. cap. 9. et IVVENALI Satyr. VI. 84. XV. 46. Conf SERVIVS ad Virgil. Aen. XI. 263

d) Annal. lib. II. cap. 60.

e) lib. XVII. pag. 801. A.

f) ad *Virgil.* Georgic. IV. 28.

g) Vid. Celeberr. HEYNII Opuſcul. Tom. I. pag. 397.

h) lib. XVII. pag. 801. A. *i*) AMMIAN. MARCELL. lib. XXII. cap. 16.

k) Vid. STRABO l. c. et SENECA Epiſtol. 51. Add. AMM. MARC. l. c.

Digitized by Google

parte, quae ſupereſt, haud immerito colligitur *l*). Ruinae *Abukir ſ. Bekiere* appellantur *m*).

Ad ipſum Canopicum oſtium poſitum erat

Herculis Fanum, το Ηρακλεος ιρον, a quo inſequuto tempore vrbs *Heraclium*, το Ηρακλειον, nuncupata eſt *n*). Haec autem vrbs eadem eſſe nobis videtur, quae HERODOTO

Tarichaeae, αι Ταριχειαι (ſcil. Καναβικαι.) dicitur lib. II. cap. 113. Hodie *Medea* vocatur *o*). Conf. §. XXXI. voce: *Tarichaeae Peluſiacae.*

Loca ad lacum Mareotidem:

Marea, ἡ Μαρεη. Vrbs haecce et *Apis*, de qua ſtatim exponemus, extra Deltam ſitae, eiusque ciues Aegypti fines verſus Libyam incolere HERODOTO dicuntur. Qui cum ipſi non ſe Aegyptios ſed Libyes eſſe putarent, Ammon iis paucis reſpondiſſe memoratur, Aegyptias eſſe vrbes, quaecumque Nilo irrigarentur, eosque Aegyptios, qui ex Nilo biberent *p*). Ad Aegyptum igitur reuocanda eſt vtraque vrbs ob vtramque cauſſam. Etenim non Nilo ſolum ſingulis annis irrigatur, ſed etiam ex Nilo bibere dicendi ſunt ciues *Mareae* et *Apidis*,

l) MARMOL. Tom. III. pag. 277. SHAW. Tom. II pag. 19. 20.

m) MARMOL. l. c. SHAW. l. c. D'ANVILLE Geogr. Anc Abreg. Tom. III. pag. 11. Conf. D'HERBELOT. pag. 671. b.

n) HERODOT. lib. II. cap. 113. STRABO lib. XVII. pag. 801. B. Add. STEPHAN. BYZ.

o) SHAW. l. c. pag. 19. *p*) HERODOT. lib. II. cap. 18.

Digitized by Google

Apidis, quoniam fossa ex eo Nili brachio, quod Canopico ostio mari infertur, in paludem *Mareotidem q*) ducta erat *r*). Non diuersa videtur *Marea* nostra a Παλαιμαρίᾳ κώμῃ, *Palaemaria* (veteri Marea) *oppido*, quod a PTOLEMAEO prope Mareotidem lacum ponitur. Nam CELLARIVM male ea de causa *Palaemariam* distinguere a *Marea*, quoniam posterior Nilo irrigari, eiusque ciues e Nilo bibere perhibeantur, ex supra dictis satis appareret. Ad stabiliendam enim sententiam suam subiungens rationem, Παλαιμαρίαν PTOLEMAEI longius a Nilo remotam esse non sibi in mentem venisse declarat, fossam e fluuio Canopico in lacum Mareotidem ductam fuisse, et hac de causa *Mareae* ciues e Nilo bibere dici *s*). *Maream* olim quidem magnam vrbem fuisse, sua autem aetate pagi speciem vix referre, memoriae prodidit ATHENAEVS *t*). Hodie *Mariout* dicitur *u*). Haud longe a *Marea* Rex Apryes ab Amasi victus et viuus in Aegyptiorum manus venit, et laqueo vitam finiuit, si modo habenda est fides DIODORO *v*). HERODOTO enim teste *w*) prope Memphin *x*) Apryi id

q) Lacus *Mareotis* nostra aetate *Birk Mariout* vocatur. *D' Anuille* Memoires pag. 64. et Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 11.

r) PLIN. Hist. Natur. lib. V. cap. 10.

s) Vid. CELLARII Notit. Orb. Ant. lib. IV. cap. I. pag. 10.

t) Deipnosoph. lib. I. cap. 25. pag. 33. D.

u) D'ANVILLE Memoires pag. 65. *v*) lib. I. pag. 62. (p. 43. D.) *w*) Lib. II. cap. 169.

x) Legendum est Μωμεμφι cum hoc loco, tum cap. 163. non Μεμφι, quam lectionem vulgares editio-

id euenisse compertum habemus. Ceterum notissimae sunt *vites Mareotides albae* VIRGILII (Georgic. II. 91.) cui iungendi STRABO (lib. XVII. pag. 799. D.) et HORATIVS (Od. I, 37, 14.) quorum ille maximam esse prope hunc lacum huius vini copiam, idque in longum tempus seruari subiicit.

Apis, ἡ Ἄπις γ). Distingui debet ab Apide, quae STRABONI Κώμη, et a Paraetorio, Marmaricae oppido, centum stadiis, (conf. PLIN. Hist. Nat. lib. V. cap. 6.) ab Ammone quinque dierum iter distare dicitur. Apidem nostram nonnulli minus recte primam Marmaricae vrbem faciunt ζ). De situ *Apidis* conf. *Marea*.

Vrbium, quae in mediterraneis eius, quam describimus, Aegypti inferioris partis sitae erant, ab HERODOTO commemorantur hae:

Anthylla, ἡ Ἀνθυλλα, λογιμη, πολις α). Aegypti reges, ex quo Persae Aegyptiis imperare coeperunt, reditus ex hac vrbe vxoribus suis ad mundum muliebrem comparandum (ἐς ὑποδηματα β), tradidisse perhibentur. Eadem est quae et *Gynaecopolis* ἡ Γυναικων πολις, appellatur γ). Quod ad situm

tiones agnoscunt. Conf. WESSELING. Confudit has vrbes ROLLINIVS Histoire Anc Tom. I. pag. 94. Vid. et LARCHER. Tom. II. pag. 494.

γ) HERODOT. lib. II. cap. 118.

ζ) CELLAR. lib. IV. cap. 2. p. 101.

α) HERODOT. lib. II. cap. 97. 98.

β) εἰς ζωνας dicit ATHENAEVS Deipnos. lib. I. cap. 25.

γ) Nomen hocce occurrit apud STRABONEM l. c. pag 803. B. et apud STEPHAN. BYZ.

ſitum huius vrbis attinet, probe tenendum eſt, eam minus accurate ad ipſum Canopicum fluuium poni a D' ANVILLIO. Anthyllam potius ab eo aliquantum remotam fuiſſe haud immerito colligitur ex HERODOTI lib. II. cap. 97. Hod. *Selamun d)*.

Archandropolis, ἡ Ἀρχανδρου πολις, paullo infra *Anthyllam* et in eadem planitie ſita erat, in qua haec. De cuius ſitu idem monendum eſt contra D' ANVILLIVM, quod in conſtituendo *Anthyllae* ſitu contra eum intulimus *e)*. Poſtea appellata eſt *Andropolis*, ἡ Ἀνδρων πολις, nunc vero *Shabur* dicitur *f)*.

Momemphis, ἡ Μωμεμφις *g)*. CELLARIO, HERODOTVM perluſtranti, vrbis huius nomen non licuit inuenire *h)*, cuius rei cauſſam afferre poſſumus ſatis idoneam. Vulgo enim in HERODOTO lib. II. cap. 163. 169. Μεμφι legitur, non, vti legendum eſt, Μωμεμφι. (Conf. not. x). *Momemphim* in oppido *Memf* ſeu *Menuf*, quod Mareotidi paludi imminet, hodieque exſtare, D' ANVILLIVS, SICARDVM ſecutus, coniicit *i)*. At licet ex laudatis HERODOTI locis *Momemphis* ſitum

d) D'ANVILLE Memoires pag. 71. et Geogr. Anc. Abr, Tom. III. p. 12.

e) HERODOT. lib. II. cap. 97.

f) Vid. D'ANVILLE locis cit.

g) HERODOT. lib. II. cap. 163. 169.

h) lib. IV. cap. 1. pag. 17.

i) D'ANVILLE Memoires pag. 73. et III. I. D. MICHAELIS ad ABVLFEDAE Aegypti deſcript. pag. 43.

Digitized by Google

ſitum conſtitui plane non poſſe ſponte iis largiamur, vtrumque tamen in eo definiendo longius a vero aberraſſe, STRABO *k*) doceat. Is enim cum referat, a *Sehedia* ad *Momemphin l*), ſurſum nauiganti ad dextram eſſe pagos multos vsque ad lacum Maream, tum, ad flumen eſſe *Hermopolin*, deinde *Gynaecopolim*, (quam HERODOTVS *Anthyllam* appellat) et Gynaecopolitanam praefecturam, denique, paucis interiectis, vltra Momemphim eſſe nitri fodinas duas, quae nitrum plurimum ferant, indeque appellatum eſſe Nitrioticum nomum: quis non videat, *Momemphim* ſitam fuiſſe inter hunc nomum et *Gynaecopolin* ſ. *Anthyllam*?

Cercaſorus, ἡ Κερκασωρος *m*). Vrbem hanc STRABO *n*), cui ἡ Κερκεσουρα dicitur, in Libya ſitam eſſe affirmat; quod quomodo intelligendum ſit ex his ipſius verbis optime intelligitur. Dicit enim l. c.: Ἐντευθεν ὁη (referendum hoc ad Heliopolin pag. 805. A.) ὁ Νειλος ἐσιν ὁ ὑπερ του Δελτα· τουτου ὁη τα μεν δεξια καλουσι Λιβυην, ἀναπλεοντι· ὡσπερ και τα περι την Ἀλεξανδρειαν, και την Μαρεωτιν· τα δε ἐν ἀριςερᾳ Ἀραβιαν. Ἡ μεν ὁυν Ἡλιουπολις (male legitur Ἡλιοπολιτις) ἐν τῃ Ἀραβιᾳ ἐσιν· ἐν δε τῃ Λιβυῃ Κερκεσουρα πολις, κατα τας Ευδοξου κειμενη σκοπας. Sitam

k) lib. XVII. pag. 803. B. C.

l) In Codd. et Editt. legitur: ἀπο δε Σχεδιας ἀναβαινουσιν (vulgo ἀναπλεουσιν) ἐπι Μεμφιν cet. Sed legendum eſſe Μωμεμφιν contextus docet.

m) HERODOT. lib. II. cap. 15. 17. 97. Add. MELA lib. I. cap. 9.

n) lib. XVII. pag. 806. D.

Digitized by Google

Sitam eam fuisse ad verticem Deltae, dubio caret. Ad hanc vsque vrbem fluit Nilus vno alueo concluſus, verum prope eam in duo praecipuos fluvios o) ſcinditur, quorum alter Peluſium fertur, alter Canopum *p*). *Cercaſori* ſedem occupauit locus, qui noſtra aetate *Ekſas q*) nuncupatur. Non audiendum eſſe SAVARY, qui non in *Ekſas*, (dicitur et *Arkſas*) ſed in pago, *Characanie* (Karakani) dicto, qui Nilo ab oriente adiacet, *Cercaſori* veſtigia ſupereſſe Tom. I. pag. 276. 277. tradit, nuper oſtendit LARCHERIVS Tom. II. pag. 359.

2. *Deltae magnae deſcriptio*

et quidem α. eius partis, quae eſt inter oſtium Canopicum, et Phatniticum.

§. XXVIII.

Deltae nominis origo; eius ambitus.

De *origine nominis Deltae*, quod maiori meliorique Aegypti inferioris parti tribuitur, nec non de eius *ambitu* non eſt, quod fuſius exponamus. Notum enim eſt 1), eam Aegypti inferioris partem, quae eſt inter Peluſiacum fluuium et Canopicum, figuram quartae literae alphabeti Graecorum refer-

o) Non repugnare hoc ei HERODOTI loco, in quo Nilus a Cercaſoro in tres alueos ſcindi dicitur, vix eſt, quod moneamus.

p) HERODOT. lib. II. cap. 15. Conf. cap. 17.

q) Vid d'ANVILLE Memoires pag. 73.

Digitized by Google

referre, indeque ipſo Deltae nomine a remotiſſima inde aetate vocatam eſſe. Vid. DIODORVS lib. I. pag. 30. Porro quod ad ambitum Deltae attinet, *Scriptor ſiculus* l. c. ſingula latera ad 750 ſtadia, baſin vero, quae mari alluitur, ad ſtadia 1300 porrigi affirmat, ita vt totius Deltae ambitus ſit 2800 ſtadiorum. A qua computatione haud multum recedit STRABO lib. XVII. pag. 788. D. eius ambitum 3000 ſtadia conficere ex ERATOSTHENE referens. Delta olim *Phium* h. e. mare dicebatur, hodiernis autem Aegyptiis dicitur *Maheleck*. Vid. DAPPER. pag. 50. a,

§. XXIX.

Inſulae; vrbes; oppida.

Inſulae. In Butica palude (§. XXIV.) ſita erat

Chemmis, ἡ Χεμμις, inſula, nonnullis Ἐχεμις dicta *a*), quam Aegyptii natantem perhibent. Memoratur in ea templum Apollinis amplum, quem Typhonis inſidiis ſubtractum Latona ibi occultans ſeruaſſe narratur; palmarum quoque, aliarumque arborum felicium aeque ac infelicium magna copia *b*). *Nomus Chemmites*, ὁ Χεμμιτης νομος, HERODOTO lib. II. cap. 165. memoratus, nobis quidem in Aegypto inferiori fuiſſe videtur. Nam, qui in Thebaide fuit *Chemmites* nomus, cum vulgo *Panopolites* appellari ſoleat: de eo hac ipſa de cauſſa noſtro loco cogitandum non eſſe putamus.

In-

a) Conf. WESSELING. ad HERODOTI lib. II. cap. 156.

b) HERODOT. lib. II. cap. 156

Inter Sebennyticum et Phatniticum fluuium ad mare fuit paludosa regio, quae τὰ Ἕλεα HERODOTO κατ' ἐξοχήν quibusdam in locis *c*) dicitur, recentioribus vero *Elearchia*, ἡ Ἑλεαρχία h. e. *regio paludosa*. Ad hanc regionem reuocanda est

Elbo, ἡ Ἔλβω, insula, decem stadiorum ambitu, quae ab Anysi, Aegyptiorum rege, (cum in paluſtrem hanc regionem eo tempore, quo Aethiopes, duce Sabaco, incursionem in Aegyptum fecisse perhibentur, confugisset) quinquaginta annis ex cineribus et terra aggesta dicitur. Ea ab Anysis inde morte trecentis annis et amplius *d*) ab insequutis Aegypti regibus, ad Amyrtaei tempora vsque frustra fuit quaesita *e*).

His iungenda est

Prosopitis, ἡ Προσωπῖτις, insula ambitu nouem schoenorum *f*). *Prosopitidis* etiam nomi mentio exstat in HERODOTO *g*). DIODORVS *h*) de

c) Lib. II. cap. 137. 140. 151. 152.

d) Cum PERIZONIO legendum videtur ἔτεα ἐπὶ πλέω ἡ τριηκοσια; vulgo legitur ἑπτακοσια. PERIZONIO adstipulatur BOVHIERIVS Recherches et Dissert. sur Herodote Chap. VII. p. 71. Conf. WESSELING. ad Herodot. lib. II. cap. 140.

e) HERODOT. lib. II. cap. 137. 140. Male vapulat D'ANVILLIO SICARDVS, qui ipsulam Elbo in Serbonide palude posuit. De cuius situ conferendus etiam LARCHERIVS Tom. VI. I. XII. et Tom. VII. p. 170.

f) HERODOT. lib. II. cap. 41. *g*) lib. II. cap. 165.

h) Tom. II. lib. XI. pag. 58. (p. 282. B.)

Digitized by Google

de insula haec tradit: *των Ἀττικων νεων ὁρμουσων ἐν τῃ Προσωπιτιδι λεγομενῃ νησῳ, τον περιῤῥεοντα ποταμον διωρυξι διαλαβοντες* (scil. Persae Aegyptum inuadentes) *ἠπειρον ἐποιησαν την νησον*, h. e. *cum naues Atticae ad Prosopitidem insulam stationem haberent, fluuio, qui insulam cingebat, per fossas alio diuerso, ex insula continentem fecerunt.*

In hac insula licet multas esse vrbes praecise affirmet HERODOTVS *i*), earum tamen non nisi vnicam diserte commemorat, eamdemque nomine ex Aegyptiorum sermone deriuato insigniuit. Haec vero est

Atarbechis, *ἡ Ἀταρβηχις*, h. e. Veneris vrbs. Nam Dea Aegyptiis *Athur* dicta eadem credebatur cum Venere Graecorum *k*). Graeci huius vrbis nominis *ἡ Ἀφροδιτοπολις* seu *ἡ Ἀφροδιτης πολις* memoriam STRABONI *l*) debemus in his verbis: *ὁ Ἀφροδιτοπολιτης νομος, και ἡ ὁμωνυμος πολις*, *Aphroditopolitana praefectura et ciuitas cognomen. Veneris templum*, *Ἀφροδιτης ἱρον*, quod hac in vrbe fuit, memoratum HERODOTO l. c.

Venimus nunc ad recensionem et descriptionem reliquarum huius Aegypti inferioris partis vrbium, oppidorumque, quorum HERODOTVS iniecit mentionem.

Ad mare est

Per-

i) Lib. II. cap. 41.

k) Vid. ETYMOL. MAGN. voce *Ἀθυρ*, et IABLONSKII Pantheum Aegypt. lib. I. cap. I. Conf. d'ANVILLE Memoires pag. 81. et LARCHERIVS ad HERODOT. lib. II. cap. 41.

l) Lib. XVII. pag. 809. A. B.

Digitized by Google

Perſei Specula, ἡ Περσέως καλεομένη σκοπιη, a Tarichaeis Peluſiacis 40 ſchoenorum iter diſſita *m)*. STRABONI *n)* ſita dicitur a Bolbitino oſtio (verſus ſeptemtrionem, et quidem) in arenoſo et humili promontorio, quod longe porrigitur et *Agni Cornu*, το Ἄγνου κερας, appellatur. Speculam hodieque ſupereſſe et *Megaizel* vocari Auctor eſt D'ANVILLIVS Memoir. pag. 77.

Loca mediterranea:

Buto, ἡ Βουτω *o)*, aliis ſcriptoribus *p)* *Butus*, ἡ Βουτος, dicta, magna perhibetur vrbs, a Sebennytico fluuio verſus occidentem ſita *q)*, et quidem prope magnum, eumdemque profundum lacum *r)*, quem *Buticum* eſſe facile perſpicitur. (§. XXIV.) Non praeterita HERODOTO templa, hac in vrbe in honorem Apollinis, Dianae et Latonae exſtructa *ſ)*. Latonae adeo templi deſcriptionem dat lib. II. cap. 155. ſaepiusque Deae huiusce oraculi meminit, quod omnium, quae in Aegypto erant, ἀψευδεςατον habebatur *t)*. Non confundi debet

 noſtra

m) HERODOT. lib. II. cap. 15.

n) lib. XVII. pag. 801. D.

o) HERODOT. lib. II. cap. 59. 63. 83. 152. 155. 156. III. 64.

p) Vid. STRABO lib. XVII. pag. 802. A. STEPHAN. B. PTOLEMAEVS lib. IV. et PLINIVS Hiſt. Nat. lib. V. cap. 10.

q) HERODOT. lib. II. cap. 155. STRABO l. c.

r) HERODOT. lib. II. cap. 156. STRABO l. c.

ſ) HERODOT. lib. II. cap. 59. 63. 155.

t) Lib. II. cap. 152.

noſtra vrbs cum alia *Buto*, de qua §. XXXI. exponemus.

Onuphis, ἡ Ὀνουφις, πολις οὐκ ἀγνωστος, *vrbs haud ignobilis*, teſte STEPHANO B. HERODOTVS nomi tantum *Onuphitis* meminit *u*), non itidem ipſius vrbis.

Naucratis, ἡ Ναυκρατις, a Mileſiis, Cyaxaris, Medorum regis, aetate paullo ſupra Schediam ad Canopicum fluuium condita *v*). Vrbem hancce, vnicum olim Aegypti totius emporium, Amaſis, Aegyptiorum rex, Graecis conceſſit habitandam iis, qui mercaturae exercendae gratia Aegyptum fortunarum ſuarum ſedem conſtituere animum induxerant *w*). (Conf. §. XXVI.)

Sais, ἡ Σαϊς, Saitici nomi, adeoque partis Deltae inferioris metropolis, duobus ſchoenis a Canopico fluuio verſus orientem remota *x*), in oppido *Sa* ſupereſt *y*). Templum habuit Mineruae celeberrimum, in quo Aegypti regum, ex Saitico nomo *z*) oriundorum, ſepulcra erant *a*); quin etiam eorumdem ſedes per aliquod tempus fuiſſe perhibetur *b*). De Λυχνοκαΐη, ſiue Mineruae feſto, non

u) Lib. II. cap. 166. *v*) HERODOT. lib. II. cap. 179. STRABO. lib. XVII. p. 801. D. p. 802. A.

w) HERODOT. lib. II. cap. 178. 179.

x) STRABO lib. XVII. pag. 802. A.

y) D' ANVILLE Memoires pag. 79. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 13.

z) Huius meminit HERODOTVS lib. II. cap. 165.

a) HERODOT. lib. II. cap. 169.

b) HERODOT. lib. II. cap. 163. 169. 175.

Digitized by Google

non hac in vrbe ſolum, ſed per omnem adeo Aegyptum ſingulis annis lucernis candentibus celebrato, exponit HERODOTVS lib. II. cap. 62. cui iungenda eſt LARCHERII (Tom. II. pag. 278. 279.) de eiusdem cauſſa et ratione diſputatio. Verum nec ea, quae de hoc feſto, nec reliqua memoratu digna, quae vt in omni vrbe, ſic maxime in hoc Mineruae templo conſpiciebantur, percurrere et recenſere animus eſt. Adeat ea noſcendi ſtudioſus ipſum Auctorem noſtrum, legatque in primis libri II. cap. 128. ſeqq. cap. 169. 170. 175. 176.

Siuph, ἡ Σιουφ, Saltici nomi vrbs, vnde oriundus Amaſis, Aegyptorum rex c).

Sebennytus, ἡ Σεβεννυτος, STRABONI d) ἡ Σεβεννυτικη πολις, nunc vero *Samanud* ſeu *Semenud* dicta e), Sebennytico flumini ab occidente appoſita. Ipſa vrbs HERODOTO praeterita, nomi tamen *Sebennytis*, cuius metropolis erat, mentio exſtat lib. II. cap. 166.

Buſiris, ἡ Βουσιρις f), (a qua dictus nomus *Buſirites*, memoratus HERODOTO lib. II. cap. 165.) ſita erat in media Delta g). Nomen vrbi inditum videtur a Buſiride, Aegyptiorum rege.

c) ID. l. c. cap. 172. d) l. c.

e) ABVLFEDAE deſcript. Aegypti pag. 60. D'ANVILLE Memoires pag. 85. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 14. NIEBVHR Reiſen nach Arabien I. 79.

f) De ſignificatu huius nominis vid. LARCHER. Tom. II. not. 199. pag. 278.

g) HERODOT. lib. II. cap. 59.

Digitized by Google

Hunc alii tyrannum credunt *h*)ab Hercule occiſum *i*), alii vero nullum vmquam extitiſſe in Aegypto Buſiridem praeciſe affimant *k*). Sed haec obiter. Addit HERODOTVS *l*), fuiſſe in vrbe noſtra Iſidis h. e. Cereris templum, cuius feſti deſcriptionem dat lib. II. cap. 40. 61.

Ex vrbis ſitu ab HERODOTO ipſo conſtituto, facile intelligitur, eam diuerſam eſſe ab *Iſidis oppido*, quod et *Iſeion* nuncupatur *m*). Immerito igitur a CELLARIO *n*) reprehenditur PLINIVS *o*), quod inter *Iſidis* oppidum et *Buſiridem* HERODOTI diſtinxit. Nec minus reprehendendus eſt WESSELINGIVS (ad HERODOT. lib. II. cap. 59.) qui templi ſplendidiſſimas ruinas, elegantiſſimis optimi marmoris columnis, exſculptis hominum animaliumque figuris ac literis Hieroglyphicis ſpectabiles, deſcriptas cum cura a SICARDO (Memoires des Miſſ. du Levant Tom. II. pag. 118.) ad *Buſiridem Herodoteam* cum aliis reuocauit. Pertinent hae ad *Iſidis oppidum* ſeu *Iſeion*, quod hodie quidem *Babeit p*). h. e. *pulchritudinis domus* appellatur. Locum *Buſiridis* HERODOTEAE occupauit noſtra aetate pagus *Abuſir* ſ. *Buſir* ſeu *Buſir Ba-*

h) DIODOR. lib. IV. pag. 225. (p. 157. B. C.)

i) OVID Metam IX. 182. 183.

k) STRABO lib. XVII, pag. 802. C.

l) lib. II. cap. 59. 61.

m) STEPH. B.

n) lib. IV. cap. 1. pag. 31.

o) Hiſtor. Nat. lib. V. cap. 10.

p) D'ANVILLE Memoires pag. 86.

Digitized by Google

Bana q), etiam *Bochiri r*) dictus. Quam ſententiam fruſtra infringere ſtuduit SAVARY *s*) eo, quod hic ne vllum quidem vrbis antiquae veſtigium offendi recens affirmauit.

Quidni igitur ſtatuamus, *Buſiridem* HERODOTI recte a D'ANVILLIO Phatnitico fluuio ab occidente inter *Sebennytum* et *Cynopolin* appoſitam eſſe? Verum iam audiendus eſt STRABO *t*), qui ſitum ita conſtitutum non admittit. A *Sebennyto* ipſi dicuntur eſſe *Xois* inſula et vrbs in Sebennytico nomo, *Hermopolis*, *Lycopolis* et *Mendes*; tum prope hanc *Dioſpolis* ad paludem et *Leontopolis*, a qua paullo longius diſtant *Buſiris* et *Cynoſpolis*. Interiectis nonnullis has excipere dicit *Athribiticum nomum* et *Aphroditopolitanum*. Videtur itaque *Buſiris* ſita fuiſſe ſupra *Leontopolin* et quidem inter hanc et *Athribitem*. Sed verbo dicemus, quid de omni hoc loco ſentiamus. Alios ſcriptores antiquos et ipſos Geographos, qui ea loca commemorant, accurate perluſtranti apparebit, HERODOTVM in iis recenſendis iuſtum ordinem omnino reliquiſſe. Hinc conſequens eſt, plane inutilem eſſe hunc locum, ex quo illorum oppidorum ſitus conſtitui poſſit, niſi, collatione cum vno alteroue reliquorum ſcriptorum veterum, qui Aegypti Geographiam attigerunt, facta, locorum,

q) ABVLFEDAE Aegypt. deſcript. pag. 9. et Celeberr. J. D. MICHAELIS not. 125. D'ANVILLE l. c. pag. 85. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 15.

r) *de la* CROIX Tom. I. pag. 63.

s) Tom. I. pag. 290. 291.

t) lib. XVII. pag. 802. B.

quae STRABO aliis finitima pronunciat, ſitus accurate antea definitus fuerit. Iam vero, cum non modo STRABONIS, ſed etiam PLINII *u*) auctoritate conſtet, *Buſiridi* finitimam eſſe *Cynopolin* ſ. *Cynoſpolin*, haec vero inter *Tauam* et *Thmuem* ſita ſit, teſte *Itinerario Antonini*, ita, vt ab illa 30, ab hac 25 milliaria diſtet, apparet, *Buſiridem* non inter Athribitem et Leontopolin fuiſſe habitatam, ſed in ipſa media Delta.

De *Proſopitide inſula*, et, quae in ea HERODOTO memoratur, *Atarbechide* vrbe iam expoſuimus.

§. XXX.

β. Regionis inter Phatniticum oſtium et Peluſiacum, quae vulgo Deltae parvae nomine venit, deſcriptio.

Vrbes; oppida.

Natho, ἡ Νάθω. Quamquam de ſitu huius nomi nulla apud HERODOTVM exſtat mentio, audacter tamen ſtatuit D'ANVILLIVS (Memoir. pag. 81.) eam fuiſſe in inſula Proſopitide. At idoneis rationibus deſtituta eſt haec ſententia. *Natho* nomus haud dubie idem eſt, qui PTOLEMAEO Νεοῦτ, *Neut*, dicitur, et ab eodem inter *Buſiriticum* et *Bubaſticum* (inter *Phatniticum* et *Peluſiacum*) fluuium ponitur. *Larcherius* (Tom. II. not. 519. pag. 496.) in vtroque ſcriptore legendum cenſet *Neith* pro Νάθω et Νεοῦτ, quo nomine Minerua antiquitus Aegyptiis venit, et huius nomi veſti-

u) Hiſt. Nat. lib. V. cap. 10.

veſtigia in hodierno *Nete* ſupereſſe cum SICARDO (Vid. D'ANVILLE Memoir. pag. 93.) iudicat.

Mendes, ἡ Μενδης, metropolis Mendeſii nomi, HERODOTO lib. II. cap. 166. memorati. Situm vrbis a D'ANVILLIO recte conſtitutum eſſe, e STRABONE *a*) perſpicitur, qui *Mendetem* finitimam dicit *Dioſpoli illi* (quae et Panephyſis), circa quam αἱ λιμναι (ſenſu eminentiori dictae) ſint, quibus recentior aetas nomen lacus *Manſale* ſeu *Tennis* indidit *b*). PINDARO quoque probe innotuiſſe haud obſcure indicant verſus, a STRABONE *c*) laudati:

Μενδητα παρα κρημνον Θαλασσης, ἐσχατον
Νειλον κερας —

Supereſſe *Mendetem* in *Aſhmun-Tanah d*), ſiue *Oſhmun — Tinnag e*) iam eo minus dubium eſſe poteſt, quo magis antiquae vrbis ſitus nobis conſtat. Colebantur in vrbe hac antiquis temporibus Pan

a) lib. XVII. pag. 802. B.

b) D'ANVILLE Memoires pag. 94.

c) l. c. PINDARICI LOCI mentionem faciunt PRISCIANVS et ÆLIANVS περι ζωων lib. VII. cap. 19. item ARISTIDES, cui ad mathematicam rationem poetae verba reuocanti, immerito vapulat PINDARVS.

d) D'ANVILLE Memoires pag. 45. 46. 91. 92. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 16. SAVARY Tom. I. pag. 399. et LARCHERIVS Tom. VII. voce MENDES.

e) ABVLFEDAE deſc. Aeg. p. 31. Conf. III. J. D. MICHAELIS ad Abulf. not. 261. 261. p. 119. ſeqq.

Digitized by Google

et *hircus*. *Pan* Aegyptiis Mendes dicebatur, quo ipso nomine etiam hircus lingua Aegyptiaca vocabatur *f*).

Thmuis, ἡ Θμουις *g*), cuius rudera multa in oppido *Tmaie* superſunt *h*), haud dubie fuit *Thmuitis nomi* primaria vrbs, cuius nomi HERODOTVS lib. II. cap. 166. meminit; ipſam tamen vrbem ſilentio transmiſit. Maioribus Aegypti vrbibus annumeratur ab AMMIANO MARCELLINO lib. XXII. cap. 16.

Tanis, ἡ Τανις, vrbs HERODOTO praeterita, a qua *Tanites* nomus appellationem traxit. Nomi mentionem Auctor noſter lib. II. cap. 166. iniecit. Vrbem ipſam D'ANVILLIVS *i*) ponit iuxta Thenneſum lacum, qui et Tennis vocatur. At Ill. MICHAELIS magis ad interiora Aegypti inferioris eam reuocat, ſequutus Geographum Nubienſem *k*). Cum vero dubium non ſit, quin ea in hodierno oppido *Tanah* ſeu *San* ſuperſit *l*), D'ANVILLIVS in conſtituendo vrbis antiquae ſitu, a veritate non deflexiſſe dicendus eſt. Condita eſt *Ta-*

f) HERODOT lib. II. cap. 42. 46. DIODOR lib. I. p. 78. 79 (p. 55. C.) STRABO l. c. p. 802. A. B.

g) THMVIS apud Aegyptios hircum denotat, teſte HIERONYMO aduerſus JOVIANVM lib. II. cap. 6. et ad. Jeſ. XLVI. 1.

h) D'ANVILLE Memoires pag. 91. et Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 16.

i) Memoires pag. 45. 46. 94. 95.

k) Vid. III. MICHAELIS ad ABVLFED. not. 261. 265. 297.

l) D'ANVILLE Memoir pag. 94. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 17. LARCHER. Tom. VII. p. 354. 355.

Digitized by Google

Tanis ſeptimo anno poſt conditam Hebron *m*). Eamdem Pharaonum ſedem fuiſſe, ibique etiam Moſen mira in conſpectu Pharaonis patraſſe narratum accepimus. In literis ſacris צֹעַן appellatur, id quod ex collatione, cum verſione Alexandrina facta, intelligitur *n*).

Daphnae Peluſiae, αἱ Δαφναι Πηλουσιαι. De his nonnihil relatum legimus apud HERODOTVM lib. II. cap. 30. 107. *Peluſiae* dicuntur et quoniam appoſitae erant Peluſiaco fluuio, et quia haud longe ab ipſo oſtio Peluſiaco aberant. Inclaruerunt eo, quod eo adhuc tempore, quo Aegyptii Perſis ſubierant, ſicut olim Pſammetichi aetate, praeſidiarios milites habebant ad irruptiones Arabum et Syrorum auertendas *o*) *Daphnas Peluſias* non diuerſas eſſe a loco, qui in codice ſacro תחפנחס dicitur *p*), docent nos LXX., hanc vocem Ταφνας vertentes, quod nomen a hodierno *Safnas q*) parum diſcrepat.

Pharbaethus, ἡ Φαρβαιθος. HERODOTVS non niſi *nomum Pharbaethiten r*) commemorat, quem STRABO *ſ*) ſupra *Mendeſium* et *Taniticum* oſtium ponit.

m) Num. XIII. 22.

n) Num. XIII. 22. Jeſ. XIX. 11. 13. XXX. 4. Pſ. LXXVIII. 12. 43.

o) HERODOT. lib. II. cap. 30.

p) Ierem. II. 16. XLIII. 7. 8. 9. XLIV. 1. Ezech. XXX. 18.

q) D'ANVILLE Memoir. pag. 44. 45.

r) Lib. II. cap. 166.

ſ) lib. XVII. pag. 802. D.

Digitized by Google

ponit. Consentit PTOLEMAEVS *t*), qui nomum noſtrum et vrbem *Pharbaethum* inter *Buſiriticum*, (HERODOTI *Bucolicum*, aliorum *Phatniticum*) et *Bubaſticum* (*Peluſiacum*) fluuium ſitam fuiſſe affirmat. Neglectis his teſtibus, *Pharbaethum* cum nomò ſuo e Delta eiecit D' ANVILLIVS et in hodierna regionis *Al-Giauf* ſ. *Al-Hauf* metropoli *Belbeis*, ſeu *Balbeis*, ſiue *Bilbeis* dicta, illam ſupereſſe putauit *u*).

§. XXXI.

3. *Aegypti partis orientalis, quae eſt extra Deltam deſcriptio.*

Vrbes; *Lacus*; *Mons*; *Oppida*.

Lacus: *Serbonis*, ἡ Σερβωνις λιμνη. Vid. §. XXIV.

Mons: *Caſius*, το Κασιον ὀρος, Serbonidi lacui finitimus *a*). HERODOTVM hunc montem vltimum Aegypti terminum verſus Syriam pronunciare lib. II. cap. 6. certum eſt. Sed minus accurate ſic conſtitutum eſſe Aegypti verſus orientem terminum, ex alio ipſius HERODOTI loco apparet. Verum hac de re iam ſupra (§. X. XI.) ſatis dictum. A *Caſio* monte ad Sinum Arabicum iter eſt mille ſtadiorum *b*). STRABO *c*) ἐϛι το Κασιον, inquit, ϑινωδης τις λοφος ἀκρωτηριαζων, ἀνυδρος, ὁπου του Πομπηϊου του Μαγνου σωμα κειται, και Διος ἐϛιν ἱερον Κασιου, *Caſius eſt*

t) Lib. IV. 5. pag. 263.

u) Memoires pag. 110. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 20.

a) HERODOT. lib. II. cap. 6.

b) HERODOT. lib. II. cap. 158.

c) Lib. XVI. pag. 760. A.

Digitized by Google

eſt mons, aggeribus arenarum ſimilis, et in mare procurrens, aquarum inops. In eo Pompeii Magni corpus iacet et Iouis Caſii templum eſt. Hodie appellatur mons noſter *El-Kas* ſiue *Ras Kaſoron d.*)

Vrbes et *oppida*:

Peluſium, το Πηλουσιον, *e*) oppidum amplius viginti ſtadiis ſupra mare Peluſiaco fluuio ab oriente appoſitum *f*). De ſitu *Peluſii* inſignis exſtat locus apud STRABONEM *g*), quem tamen, quoniam longior eſt, tranſſcribere nolumus. Vnum hoc monemus, *Peluſium* dictum a ſitu, ἀπο του πήλου; cinctum enim eſt paludibus. Ruinae vrbis hodieque adeo appellantur *Tineh h*), quae vox *locum paluſtrem* ſignificat. Longiſſime a vero abberrant, qui *Peluſium* in literis ſacris סין appellari *i*) affirmant. Fefellit eos Vulgatus interpres, qui EZECHIELIS verba *k*) סין מעוז מצרים vertit: *Peluſium robur* (locus firmiter communitus, arx) *Aegypti*

d) D'ANVILLE Memoires pag. 99. LARCHER, Tom. II. pag. 172.

e) HERODOT. lib. II. cap. 15.

f) STRABO lib. XVII. pag. 803. A.

g) Lib. XVII. pag. 302. D. pag. 803. A. Conf. DIODOR. Tom. II. lib. XV. pag. 358. (p. 478. D.) lib. XVI. pag. 444. (p. 535. A.)

h) Vid. ABVLFEDAE deſc. Aeg. pag. 2. et III. MICHAELIS ad h. l. not. 12. D'ANVILLE Memoir. pag. 97. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 17. Male multi crediderunt, *Peluſium* non diuerſum eſſe ab hodierna *Damiata*. Haec vero Phatmetico Nili oſtio adiacet. Vid. SHAW Tom. II. pag. 19.

i) Ezech. XXX. 15, 16.

k) cap. XXX. 15.

Digitized by Google

gypti. Assentiendum videtur LXX interpretibus, qui סין reddiderunt: Σαιν *l*). Aeque minus amplectimur eorum sententiam, qui *Pelusium* eumdem locum putant cum לבנה scripturae sacrae *m*). Verum prolixior de his disputatio ab hoc loco aliena est.

Sanacharib, Assyriorum rex, *Pelusium* quondam oppugnauit quidem, sed irrito conatu abiit *n*); insequuta autem aetate rex Aegyptiorum Psammenitus a Persis, duce Cambyse, prope hanc vrbem proelio victus est, ipsaque vrbs in hostium manus venit *o*).

Ad ipsum ostium Pelusiacum versus orientem fuere

Tarichaeae Pelusiacae, αἱ Ταριχηῖαι Πηλουσιακαι, 40 schoenis a *Perſei ſpecula* dissitae, (HERODOT. lib. II. cap. 15.) quae nostra aetate *Al-Farma* seu *Farameh* nomine veniunt. (D'ANVILLE Memoir. pag. 97.) *Tarichaearum* nomininis originem WESSELINGIVS ad HERODOT. l. c. quem plerique sequuntur *p*), repetendam esse coniicit ex congestis ibi hominum animaliumque cadaueribus, quae more gentis diligenti cura condiebantur (HERODOT lib. II. cap. 86). Alii locum huncce mer-

l) LXX. Ezech. XXX. 16. סין vertunt Συηνη. Legendum Σαιν vt commate 15.

m) Ieſ. XXXVII. 8. 2 Reg. XIX. 8. Conf. LARCHER. Tom. II. p. 447-452.

n) HERODOT. lib. II. cap. 141.

o) HERODOT. lib. III. cap. 10. 11.

p) v. c. LARCHERIVS Tom. VII. pag. 356.

mercaturae piſcium, ſale conditorum, ſeruiſſe putant *q*). Ceterum plures Aegypti vrbes hoc nomine inſigniebantur. *Tarichaeas Canobicas* ipſe HERODOTVS commemorat. (§. XXVII.) Addit STEPHANVS BYZ. *Mendeſias* et *Scenicas*.

Inter *Bubaſtum* et *Peluſiacum oſtium* ad vtramque Peluſiaci fluuii ripam habitabantur

Ionum et *Carum caſtra*, τὰ τῶν Ἰώνων καὶ Καρῶν στρατοπεδα, (HERODOT. lib. II. cap. 154.) de quibus iam expoſuimus §. XXVI.

Bubaſtis, ἡ Βουβαστις, *r*) Bubaſtici nomi (HERODOT. lib. II. cap. 166.) metropolis, appellata dicitur a Bubaſti Dea, quam Graeci Artemidem vocitant *ſ*). Templi in huius Deae honorem et cultum exſtructi deſcriptionem dat HERODOTVS lib. II. cap. 138. cui loco iungenda libri eiusdem capita 59. 60. De ſitu Bubaſtis nulla hactenus diſſenſio; recens tamen BRYANTVS ſitam eam fuiſſe affirmauit in angulo illo, vbi dirimuntur duo Nili aluei, quorum alter Sebennytico oſtio, alter Peluſiaco in mare exit; quae ſententia non niſi e

STRA-

q) Vid. CELLARIVS P. III. lib. IV. cap. I. pag. 32.

r) HERODOT lib. II. cap. 59. 60. 67. 137. 158. cet. MELA lib. I. cap. 9. Vulgo Βουβαστος dicitur. Vid. STEPHAN. *B.* h. v. STRABO lib. XVII. pag. 805. A.

ſ) HERODOT. lib. II. cap. 137. Conf. OVID. Metam. IX. 690.

t) Vid. GATTERERI Allg. hiſt. Bibl. Tom. XVI. pag. 47.

STRABONIS loco *u*), perperam intellecto, diligentius autem a nobis infra excutiendo, (voce Heliopolis) orta videtur. Non recedendum est a D'ANVILLII *v*) sententia, quae eo quoque stabilitur, quod HERODOTVS lib. II. cap. 154. *Ionum et Carum castra* ad vtramque Pelusiaci fluuii ripam paullo infra *Bubastin* et versus mare sita fuisse affirmat. Sita sane fuit *Bubastis* cum nomo cognomine inter nomum Sethroiten et Pharbaetiten, adeoque extra Deltam. (Vid. infra *Heliopolis.*) In literis sacris Ezech. XXX. 17. appellatur בסת־. Antiqua *Bubastus* nunc quidem *Basta* dicitur, referente D'ANVILLIO *w*), qui vrbis antiquae et templi antea commemorati vestigia vix superesse addit.

Myecphoris, ἡ Μυεκφορις, metropolis *Myecphoritis Nomi*, HERODOTO praeterita. Nomus erat in insula iuxta *Bubastin* vrbem *x*). Nec

Athribis, ἡ Ἀθριβις *y*), vrbs memorata HERODOTO; nomi tamen mentio exstat lib. II. cap. 166. Superesse videtur *Athribis* in pago *Atrib*, Canopico flumini ab oriente apposito, inter *Miit-Kamar* et

u) lib. XVII. pag. 805. A.

v) Memoires pag. 106. 107. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 19. 20.

w) Geogr. Anc. Abr. l. c.

x) HERODOT lib. II. cap. 166.

y) Varie scribitur. Praeferenda videtur lectio Ἀθριβις quae et in PLINIO lib. V. cap. 10. exstat STEPHANVS BYZ Ἀθμβις. Alii aliter.

Digitized by Google

et *Miit-Demsis z*). Situs vrbis nec e STRABONE nec e PTOLOMAEO constitui potest. Ille enim sitam esse eam supra *Busirim* et *Cynospolin* simpliciter contendit eo loco *a*), in quo iustum in recensendis vrbibus et oppidis ordinem plane neglexisse dicendus est. Hic *b*) vero inter *Athribiticum* et *Busiriticum* (*Phatniticum*) fluuium eam cum nomo suo sitam fuisse tradit nobis, nescius, vtrum *Athribitici* nomine brachium Nili, am fossam, et quodnam brachium aut quamnam fossam significet.

Patumus, ἡ πατουμος, ἡ Ἀραβιη πολις *c*) HERODOTO teste, fossa e Nilo in sinum Arabicum deducta paullo supra Bubastin vrbem *d*). Iam cum de situ *Bubastis* satis constet (Vid. supra *Bubastis*, et infra *Heliopolis*) vnusquisque primo intuito facile intelliget, adsentiendum esse argumento, quo *Patumum* HERODOTI non diuersam esse ab *Heroopoli* probare studuit D'ANVILLIVS *e*). Prouocauit autem ad LXX. *Interpretes*, et *Coptum Interpretem*, quorum illi פתם Gen. XLV. 10. XLVI. 28. 29. XLVII. 4. transtulerunt Ἡρωων πολις, hic vero

z) D'ANVILLE Memoir. pag. 104. 105. et Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 19.

a) Lib. XVII. pag. 802.

b) Lib. IV. 5. pag. 262.

c) HERODOT. lib. II. cap. 158. *Patumus* nomen non nisi in HERODOTO et STEPHANO BYZ. legitur. Conf. LARCHER. Tom. VII. pag. 283.

d) ἡκται δε (fossa) κατυπερθε ὀλιγον Βουβασιος πολιος παρα πατουμον την Ἀραβιην πολιν.

e) Memoires pag. 123. 124.

vero *Pethom*. Hic vero non poſſumus, quin vtrumque iuſtis rationibus ad illam verſionem adductum eſſe ſtatuamus. Etiam רעמסס *Raëmſes*, quae eadem eſt ac גשן (vtroque nomine ipſa terra appellabatur in qua ſita erat haec vrbs) vertere ſolent LXX. Ηρωων πολις et *Coptus*: *Pethom*. Semel vrbs noſtra in literis ſacris פתם, *Pitom*, appellatur *f*).

His ſubiiciemus HERODOTI de foſſa e Nilo in ſinum Arabicum deducta, relationem *g*) quae a Necone, Pſammetichi filio, inchoata, a Dario continuata, denique a Ptolemaeo Philadelpho abſoluta, perhibetur, quaeque poſtea Traiani mandato inſtaurata, *Traianus canalis* appellata eſt. Ita autem ille; της (foſſa) μηκος μεν ἐϛι πλοος ἡμεραι τεσσερες. εὐρος δε ὠρυχϑη, ὡϛε τριηρεας δυο πλεειν ὁμου ἐλαϵρευμενας. Ἠκται δε ἀπο του Νειλου το ὑδωρ ἐς αὐτην. Ἠκται δε κατυπερϑε ὀλιγον Βουβαϛιος πολιος παρα πατουμον την Ἀραβιην πολιν. (Hoc nomine inſigniebantur omnes Aegypti vrbes a Nilo verſus Arabiam ſitae Conf. §. XXVII. voce *Cercaſorus*.) Ἐϛεχει δε ἐς την Ἐρυϑρην ϑαλασσαν. (in ſinum maris Erythraei, ſ. in ſinum Arabicum) Ὠρυκται δε πρωτον μεν του πεδιου του Αἰγυπτιου τα προς Ἀραβιην ἐχοντα. ἐχεται δε κατυπερϑε του πεδιου το κατα Μεμφιν τεινον ὀρος, ἐν τω αἱ λιθοτομιαι ἐνεισι. Του ὠν δη ὀρεος τουτου παρα την ὑπωρεην ἠκται ἡ διωρυξ ἀπ' ἐσπερης μακρη προς την ἠω, και ἐπειτα τεινει ἐς διϰσϕαλας, ϕερουσα ἀπο του ὀρεος προς μεσαμβριην τε και νοτον ἀνεμον, ἐς τον κολπον τον Ἀραβιον. Hactenus HERODOTVS. Atque hinc rela-

f) SHAW Tom. II. pag. 28.
g) Lib. II. cap. 158.

relationi, vocatis in auxilium peregrinantium narrationibus, conuenienter eius fossae cursum constituit et delineatum exhibuit D'ANVILLIVS. Confudit omnino STRABO *h) fossam* HERODOTEAM cum alia, cuius initium est a *Phaccusa*, et quae prope hodiernum oppidum *Bilbeis*, (in quo D'ANVILLIVM HERODOTI *Pharbaethum* superesse male iudicasse supra vidimus) *Traiano Canali* iungitur. STRABONIS locum ita quidem interpretatur BRYANTVS *i*), vt congruat cum HERODOTEA. Sed perperam esse illum, statim profecto intelliges, si probaueris ea, quae de situ *Bubastis* supra disputauimus, et infra de *Heliopolis* situ exposituri sumus. Nititur enim illa laudati loci STRABONIANI interpretatio situ *Bubastis* et *Heliopolis*, in quo constituendo alio STRABONIS loco perperam intellecto adductus nimium a vero aberrauit.

Iam vero ad exponendas reliquas Aegypti inferioris vrbes veniamus.

Buto, ἡ Βουτω, alia est, quam ea, quae Buto lacui adiacebat. Vid. §. XXIX. Nostra, cuius mentio exstat apud HERODOTVM lib. II. cap. 75. a *serpentibus alatis*, singulis annis ex Arabia aduolantibus, qui in loco finitimo Ibidum insidiis subiecti sunt, famam sibi conciliauit. De serpentibus istis consulendus est BOCHARTVS *k*). Etiam apud

h) Lib. XVII. pag. 804. C — pag. 805. A.

i) BRYANTI interpretationem in compendium redactam habes in ILL. GATTERERI *Allgemeiner kistor Bibl.* Tom. XIV. pag. 51.

k) Hierozoic. P. II. lib. III. cap. 12. pag. 423.

Digitized by Google

IESAIAM *l*) שרף מעופף, *ferpens volucris* in Aegypto occurrit. Superesse videtur oppidum noſtrum in hodierno *el-Bueib*, cuius ſitum recte a D'ANVILLIO *m*) conſtitutum esse vel e *Numer.* XXXIII. 6. 7. coll. *Exod.* XIII. 20. evinci poterit *n*).

Heliopolis, ἡ Ἡλιου πολις. Duplicem fuiſſe *Heliopolin*, alteram in Aegypto, alteram a Nilo verſus orientem in Arabia, nulli veterum *o*), recentiorumque Hiſtoriorum et Geographorum obſervatum; quo errore multa turbata ſunt in hiſtoria antiqua. Primus omnium duplicem *Heliopolin* vidit et diſtinxit BRYANTVS *p*), Vir celeberrimus. *Aegyptiacae Heliopolis* ſaepius meminit HERODOTVS, eamque 1500 ſtadia a mari *q*), (h. e. a Sebennytico Nili oſtio, Deltam mediam ſecante) a Thebis vero nouem dierum iter, Nilo ſuſceptum, ſiue

l) Cap. XXX. 6.

m) Memoires pag. 119. 120.

n) Conf. et BRYANTVS in ILL. GATTERERI *Allgem. hiſtor. Biblioth.* Tom. XVI. pag: 72. 73. — Recte LXX. INTERPRETES. אתם *Numer.* XXXIII. 6 7. tranſtulerunt Βουθαν; at *Exod.* XIII. 20. Ὀθωμ.

o) PTOLEMAEVM IV. 5. pag. 263. non de *Heliopoli Arabica* ſed de *Aegyptiaca* loqui e ſitu reliquarum vrbium, quas ſimul enumerat, apparet. Verba haec ſunt: εν μεθοριῳ Ἀραβιας και Ἀφροδιτοπολεως Βαβυλων, Ἡλιουπολις, Ἡρωων πολις, ὁι ἡς και Βαβυλωνος πολεως Τραϊανος ποταμος ῥει-

p) Vid. ILL. GATTERERI *Allgem. hiſtor. Bibl.* Tom. XIV. p. 43-47. Tom. XVI. p. 34. BRYANTVM ſequutus nuper *Larcherius* Tom. VII. p. 171.

q) HERODOT. lib. II. cap. 7. coll. cap. 6.

Digitized by Google

ſiue 81. ſchoenos, ſ. 4860. ſtadia *r*) remotam eſſe tradit; vrbis autem cognominis *Arabicae* ne nomen quidem in toto Auctoris noſtri opere occurrit. Inditum eſſe vrbi noſtrae της Ἡλιου πολεως nomen, a Solis templo, quo inclaruit *ſ*), nemo neſcit.

Aegyptiacae Heliopolis ſitus tuto ſatis a STRABONE *t*) conſtitui poteſt. Ipſa STRABONIS verba haec ſunt: Ἡ δε ἀρχη της διωρυγος της ἐκδιδουσης εἰς την Ἐρυθραν (ſuppl. Θαλασσαν h. e. in ſinum Arabicum) ἀπο κωμης ἀρχεται Φακκουσης (ſitum eſt hoc oppidum in regione, quae iuxta Peluſium eſt) ἡ συνεχης ἐστι και ἡ Φιλωνος *u*) κωμη. — Οὑτοι δ' οἱ τοποι (Phaccuſa et Philon ſ. Phithon) πλησιαζουσι τη κορυφη του Δελτα· (h. e. ſitae ſunt verſus Deltae verticem. Ita haec vertenda eſſe, e Phaccuſae ſitu, de quo ſatis conſtat intelligitur. Ponitur enim a PTOLEMAEO prope Bubaſtum, Bubaſticae praefecturae metropolin, quam inter Pharbaetiten et Sethroiten nomum fuiſſe habitatum e PLINIO *v*) aliisque ſcriptoribus compertum habemus Αὐτου δε (pro κατα τουτου δε του τοπου h. e. *ibi*) και ἡ Βουβαστος πολις, και ἡ Βουβαστιτης νομος· και ὑπερ αὐτων (ſcil. ſupra Bubaſtum vrbem et Bubaſti-

r) HERODOT. lib, II. cap. 9.

ſ) HERODOT. lib. II. cap. 59. 63.

t) lib. XVII. pag. 805. A. B. coll. p. 806. D.

u) Forte cum BRYANTO (Obſeruations and Inquiries pag. 121.) legendum Φιθωνος. Quam emendationem ſi probaueris, non nimis premendam eſſe STRABONIS de *Phaccuſa prope Phithonem* ſita relationem, apparet.

v) Hiſtor. Natur. lib. V. cap. 9.

Digitized by Google

baſtiten nomum, ſed paullo remotius) ὁ Ἡλιουπολιτης νομος. Ἐνταυθα δε (in hoc vero nomo) ἐσιν ἡ του Ἡλιου πολις, ἐπι χωματος ἀξιολογου κειμενη. — Προκεινται δε του χωματος λιμναι, την ἀναχυσιν ἐκ της πλησιον διωρυγος ἐχουσαι, Ita poſteriorem locum interpretamur: In hoc vero (ſcil. Heliopolitano) nomo eſt vrbs Solis, ſita in aggere magno. — Ante quem aggerem paludes ſunt, in quas profunduntur aquae e fluuio finitimo, (h. e. Sebennytico.) Hactenus STRABO pag. 805. A. B. Nunc, ſubiunctis nonnullis de templo, quo inclaruit *Heliopolis*, nec non de templorum ſtructura vniuerſe, item de aedibus, in quibus Sacerdotes Heliopolitani habitabant, quae omnia pro epiſodio habenda ſunt, pergit denique pag. 806. D. hunc in modum: Ἐντευθεν δη (ab *Heliopoli*) ὁ Νειλος ἐσιν ὁ ὑπερ του Δελτα. τουτου δη τα μεν δεξια καλουσι Λιβυην, ἀναπλεοντι· ὡσπερ και τα περι την Ἀλεξανδρειαν, και την Μαρεωτιν· τα δ' ἐν ἀριστερᾳ Ἀραβιαν. Ἡμενουν Ἡλιου πολις (vulgo legitur) ἡ Ἡλιοπολιτης. Intelligi quidem poſſet γη pro nomo modo ſcribendum Ἡλιουπολιτης. Sed vrbem Heliopolin h. l. commemoratam fuiſſe vel inde apparere videtur, quod opponitur vrbs Cerceſura.) ἐν τῃ Ἀραβιᾳ ἐσιν ἐν δεξιᾳ Κερκεσουρα πολις κατα τας Εὐδοξου σκοπας. Ex quibus cum ſolis lumine clarius perſpiciatur, *Heliopolin* et extra Deltam et Nilo ab oriente oppoſitam fuiſſe, nequicquam totum in eo eſſe BRYANTVM *w*), qui demonſtret, *Heliopolin* in ipſo Deltae vertice, e regione Cercaſori fuiſſe ſitam, quis non videat?

In

w) Obſeruations and Inquiries pag. 113. 114. 305. ſeqq.

In *literis ſacris* duplex occurrit vrbis noſtrae nomen, און *Gen.* XLI. 45. *Ezech.* XXX. 17. et בית שמש, *Ierem.* XLIII, 13., vtrumque per Ἡλιουπολιν LXX. interpretati ſunt. Ipſa olim celeberrima vrbs, quae nunc *Ain-Schemes* h. e. *fons ſolis* appellatur, in ruderibus eſt *x*).

Supereſt, vt in *Aegypti inferioris* deſcriptione de nomis, vrbibus oppidisque, quorum ſitus incertus eſt, pauciſſima ſubiungamus.

Aphthites nomus ὁ Ἀφθιτης νομος *y*), LARCHERIO *z*) inter Bubaſtin et Tanin ſitus fuiſſe videtur. Vrbis *Aphthitis* HERODOTVS non meminit.

Anyſis, ἡ Ἄνυσις, (HERODOT. lib. II. cap. 137.) quae nomo Anyſio, cuius metropolis erat, nomen dedit. Nomi memoriam ſeruauit nobis HERODOTVS lib. II. cap. 166. ipſius autem vrbis antiquiſſima memoria exſtat in his JESAIAE XXX. 4. ומלאכיו חנס יגיעו, *et legati eius Chanes* h. e. Anyſin *attigerunt a*).

Erythra Bolus, ἡ Ἐρυθρη βωλος, h. e. *rubra gleba* oppidum fuit, a Pherone rege ſtammis abo-

x) Vid. ABVLFEDAE deſcriptio Aegypti p. 34. Conf. Ill. MICHAELIS not. 275. ſeqq. p. 125. ſeqq. D'ANVILLE Memoires p. 114. Geogr. Anc. Abr. Tom. III. p. 22.

y) HERODOT. lib. II. cap. 166.

z) Tom. VII. hac voce.

a) Conf. VITRINGA ad *Iſ.* Tom. II. pag. 168. Peſſime LXX. illum locum interpretati ſunt.

Digitized by Google

letum *b*). Qui in DIODORO occurrit pagus, Ἱερα Βωλος appellatus, idem eſt ac *Erythra Bolus* HERODOTI. Suſpicor tamen in DIODORO aeque ac in HERODOTO legendum eſſe Ἐρυθρη.

Papremis, ἡ παπρημις, Martis ſacra, cui ſingulis annis feſtum celebrabant *c*). Ab hac vrbe *Papremitis nomus*, ὁ παπρημιτης νομος dictus, cuius et ipſe HERODOTVS meminit *d*), Inter omnes Aegyptios non niſi apud huius praefecturae ciues *Hippopotamorum* (των ἱππων των ποταμιων) cultus erat et veneratio *e*). Ceterum D'ANVILLIVS *f*) minime adſentitur SICARDO, qui vrbem noſtram in pago *Ephrim*, qui eſt ad lacum Mareotidem, ſupereſſe autumat.

De *Thebaio* nomo et *Chemmite* ſupra expoſuimus.

II.

b) HERODOT. lib. II. cap. III.

c) HERODOT. lib. II. cap. 59. 63 64. Conf. STEPH. B. voce παπρημις.

d) HERODOT. l. c. cap. 71. 165.

e) l. c. cap. 71. Habes ibidem deſcriptionem *Hippopotami* Conf. DIODOR SIC. lib. I. p. 31. 32. (p. 22. B, C,)

f) Memoires pag. 73.

Digitized by Google

II. AEGYPTI SVPERIORIS DESCRIPTIO.

§. XXXII.

I. Heptanomis.

Memphis vrbs; Mons; Pyramides; Lacus: Labyrinthus; Reliquae vrbes; Oasis magna Heptanomidi adscripta.

Memphis, ἡ Μεμφις, saepius HERODOTO memorata *a*). Sita erat a Nilo in occidentem, et quidem in ea Aegypti regione, quae angustissima, natura vero et arte mirum in modum erat munita. Scilicet ab oriente Nilum, a meridie aggerem habuisse perhibetur, ab ipso vrbis conditore aggestum a septentrione vero et ab occidente lacum ingentem effodi idem curauit *).

In constituendo *Memphis* situ, de quo post tot veterum aeque ac recentiorum relationes res dudum expedita est, ab vtrisque recedit D'ANVILLIVS *b*). *Memphin* enim, adeoque omnia Aegypti loca supra *Memphin* sita, iusto magis versus meridiem posuit. Verum eius sententiam, et argumenta, quibus ea nititur, probe refutauit GATTERERVS, Vir celeberrimus *c*). Aberat a Deltae vertice, tribus schoenis, referente STRABO-

a) v. c. lib. II. cap. 3. 97. 99.

*) Vid. HERODOT. lib. II. cap. 99. Conf. DIODOR lib. I. pag. 47. (p. 32. D.).

b) Memoires sur l'Egypte pag. 142.

c) Vid. Eius allgemeine historische Bibliothek. Tom. XI. p. 71. seqq. coll. p. 80. 81.

Digitized by Google

NE *d*), siue, vt cum PLINIO *e*) loquamur, 15000 passuum. PLINIVS sequutus sane in his ERATOSTHENIS rationem secundum quam schoenus non nisi 40 stadiis patet *f*).

De conditore vrbis mira veterum auctorum discrepantia. Quae tamen cum leuioris momenti sit, *Menem* ab HERODOTO *g*) eius auctorem perhiberi, monuisse sufficiat.

Ob illam ipsam, cuius paullo ante mentionem inieci, securitatem insignem, vrbi nostrae a conditore conciliatam, tum ob ipsius magnitudinem, denique ob situs opportunitatem, plerique eorum, qui post vrbis conditorem Aegyptiis imperarunt, aulam eo transtulerunt. Primis enim temporibus Thebas regiae sedem habuerunt Aegyptiorum principes.

Quae in *literis sacris* נוֹף, JES. XIX. 13. JEREM. II. 16. et מוֹף, HOS. IX. 6. (legendum et hoc loco videtur נוֹף) dicitur vrbs, ea apud LXX. INTERPRETES Μεμφεως nomine venit *h*). — Arabes Aegypti metropolin, quaecunque demum ea sit, aut fuerit, nunquam non totius Aegypti, nomine, apud ipsos usitato, *Misr* vocant. Hinc *Mem-*

d) Lib. XVII. pag. 807. B.

e) Histor. Natur. lib. V. cap. 9.

f) l. c. lib. XII. cap. 14.

g) lib. II. cap. 99.

h) Vid. III. MICHAELIS ad ABVLFED. not. 214. pag. 102.

Memphis ipsis nostra aetate *prisca Misr* audit *i*). Verum pro *Misr* seu *Mesr* Aegyptii, referentibus Geographis Arabicis, olim dixerunt *Menf*, quae vox a Graecis in Μεμφις mutata traditur *k*).

Iam vero ad HERODOTVM ipsum redeamus et, quae memoratu digna in *Memphi* ipsi commemorata sunt, qua fieri potest brevitate subiungamus.

Splendidissimum in vrbe hac celeberrima fuit *templum* idque *Vulcano dicatum l*), quod a Mene inchoatum plures postea reges exornare studuerunt. Vestibula borealia Moeris construxit *m*), occidentalia Rhampsinitus *n*), orientalia, HERODOTO prae ceteris a magnitudine et magnificentia laudata, Asychis *o*), ea denique, quae versus meridiem spectant, Psammetichus, ex quo toti Aegypto solus imperare coeperat *p*). Sed Psammetichum orientalia exstruxisse vestibula, quae Asychi tribuit HERODOTVS, auctor est DIODORVS SICVLVS *q*). De *Colosso supino* ante Vulcani tem-

i) ABVLFEDAE descript. Aegypti pag. 28. et Ill. MICHAELIS ad h. l. not. 241. pag. 113.

k) D'HERBELOT. pag. 261. a. pag. 759. b.

l) HERODOT. lib. II. cap. 3. 99.

m) HERODOT. lib. II. cap. 99. 101. Conf. DIODOR lib. I. p. 47. (p. 33. C.).

n) HERODOT. l. c. cap. 121.

o) ID. lib. laud. cap. 136.

p) l. c. cap. 153.

q) Lib. I. pag. 60. 61. (p. 42. D.).

Digitized by Google

templum, eoque Amasis opere, legatur ipsa HERODOTI relatio lib. II, cap. 176. — Apidem divino honore prosequebantur Memphitae, eumque in septo quodam alebant *r*).

E regione templi, Vulcano dicati, de quo hactenus exposuimus, et quidem versus meridiem erat

Τεμενος καρτα καλον και ευ εσκευασμενον, cum sacello *Veneris hospitae*, cuius auctor perhibetur Proteus *s*). *Veneris hospitae* nomine intelligit HERODOTVS *t*) Helenam, Tyndari filiam, rationes subiungens satis idoneas, ita, vt nos quoque huic sententiae calculum qualemcunque nostrum addiicere nulli dubitemus. Commemoratur praeterea HERODOTO *Cabirum*, in vrbe nostra *templum*, quod, vt reliqua omnia, quae in ea erant, Cambysen profanasse, pleraque adeo impia manu diruisse, memoriae proditum legimus apud Auctorem nostrum lib. III. cap. 37.

Circa *sacellum Veneri hospitae* dicatum, cuius fecimus mentionem, habitabant

Phoenices ex Tyro, Φοινικες Τυριοι, (HERODOT. lib. II. cap. 112. Conf. §. XXVI.) adeoque omnis haec vrbis pars

Ty-

r) HERODOT. lib. II. cap. 153. Vid. et STRABO lib. XVII. p. 807. B. C.

s) HERODOT. l. c. cap. I. 12.

t) l. c.

Digitized by Google

Tyriorum caſtra, των Τυριων στρατοπεδον u), dicebatur. HERODOT. l. c. Horum *Phoenicum Tyro oriundorum* nomine veniunt mercenarii illi milites, qui auxilio fuerant Pſammeticho, vt ad vnum hunc ſumma rerum in Aegypto deuolueretur. His *Phoenicibus* praeter ſtipendium promiſſum dona eximia Pſammetichus diſtribuit, και τα καλουμενα στρατοπεδα τοπον οικειν εδωκε, και χωρην πολλην κατεκληρουχησε, μικρον επανω του Πηλουσιακου στοματος, ους ενευθεν Αμασις υστερον πολλοις ετεσι, βασιλευσας ανεσησε και κατωκισεν εις Μεμφιν (*et locum caſtrorum inde nomen adeptum, agris inſuper multis ſorte attributis; paullum ſupra oſtium Peluſiacum inhabitandum conceſſit. Quos Amaſis multos poſt annos regnans inde ſummotos Memphin transſiulit*). Vid. DIODOR. SIC. lib. I, pag. 61. (p. 42. D.) Conf. §. XXVI.

Nec ſilentio transmittenda eſt alia vrbis pars cum Perſarum praeſidio. Ea autem HERODOTO lib, III. cap. 91. dicitur

Leucon Teichos, το Λευκον Τειχος. Περσαι, inquit HERODOTVS, και ή τουτων επικουροι εν τω Λευκω Τειχει τω εν Μεμφι κατοικημενοι.

A *Memphi* verſus occidentem memoratur HERODOTO lib. II. cap. 99. το ορος ψαμμινον, *Pſammius mons.*

Ab

u) Tyriorum caſtris ſimilia Iudaeorum caſtra in Auguſtamnica, Aegypti prouincia (Notit Imper. Orient. pag. 204.) ſiue στρατοπεδον Ιουδαιων IOSEPHI Antiquit XIV. 8, 2. Conf. WESSELINGIVS ad HERODOT. lib. II. cap. 112.

Ab eadem vrbe ſeptemtrionem verſus conſpiciuntur hodieque *Pyramides*, inter ſeptem clariſſima orbis opera numerari ſolitae. Multa de iis, earumque auctoribus in HERODOTO lib. II. cap. 8. 101 124. ſeqq. 134. 136. 148. 149. occurrunt, quae loca noſcendi cupidus ipſe adeat rogamus. Potius omnino de Pyramidibus ſilere animus eſt, cum paucis comprehendi nequeant, quae cum ex veterum *v*) tum ex recentiorum *w*) de iis relationibus nobis innoteſcunt, eaque ſingula ſingularibus ſcriptis dudum excuſſa ſint et pertractata. Verum de ſitu earum, a diuerſis auctoribus diuerſa ratione conſtituto, tenendum eſt, temere agere eos, qui earum a Memphi diſtantiam a DIODORO STRABONE et PLINIO diuerſa ratione conſtitutam, conciliare ſtudent. Laudandi potius ſunt ii, qui illos ſcriptores non eumdem terminum in animo habuiſſe ſtatuunt *x*).

De *Moeridis lacu* memoratu digniſſima ſupra attigimus §. XXIV.

Laby-

v) Praeter HERODOTI loca, iam laudata, videſis DIODORVM lib. I. pag. 57. (p. 39. D.) STRABONEM lib. XVII. pag. 807. B. pag. 868. A. pag. 811. C. PLINIVM Hiſt. Nat. lib. XXXVI. cap. 12. 13.

w) SHAW. Tom. II. pag. 144. ſeqq. NORDEN Voyage *d'Egypte et de Nubie* Tom. I. pag. 73-88. SAVARY *Lettres ſub l'Egypte* T. I. p. 184-247. Conf. Ill. GATTERER *Allgemeine Weltgeſchichte* Tom. I. pag. 473-499.

x) De ſitu Pyramidarum legenda ſunt ea, quae contra D'ANVILLIVM monuit Ill. GATTERER in *Allgem. hiſtor. Bibl.* Tom. XI. pag. 74. ſeqq.

Digitized by Google

Iuxta *Crocodilorum vrbem y)*, ſive *Arſinoem* erat

Labyrinthus, ὁ Λαβυρωθος. Exſtruxerunt eum duodecim illi reges, qui vno quondam eodemque tempore Aegypto imperarunt *z)*. Erant in eo duodecim aulae, tecto opertae, portis altrinſecus oppoſitis, et 3000 domicilia, 1500 ſubterranea, totidemque ſuperiora. (του γαρ ſcil. *Labyrinthi*, δυωδεκα μεν εισι αυλαι καταϛεγοι, ἀντιπυλοι ἀλληλησι. — οἰκηματα δ' ἐνεϛι διπλα, τα μεν, ὑπογαια, τα δε, μετεωρα, ἐπ' ἐκεινοισι, ϛρισχιλια, ἀριθμον πεντακοϛιων και χιλιων ἑκατερα.) Quorum domiciliorum ſubterranea intrare nefas credebatur, quoniam in iis Labyrinthi Auctores et ſacri Crocodili repoſiti erant *a)*. Plura de *Labyrintho* ex HERODOTO tranſſcribere nolumus, ne breuitatis limites conſulto transgredi videamur. Quid? quod hactenus de *Labyrintho* commemoratis ne verbum quidem ſubiiceremus, niſi HERODOTVM *b)* et STRABONEM *c)* non de eodem *Labyrintho* loqui putaret doctiſſimus D'ANVILLIVS *d)*. Scilicet *Labyrinthum* HERODOTEVM Heracleopolitano nomo adſcripſit, eumque poſuit prope ſeptemtrionalem terminum canalis, qui nunc quidem *Bathen* appellatur *e)*. Fieri autem non poterat, quin ibi fingeret *Labyrinthum* D'ANVILLIVS, cum perſuaſum ſibi haberet, HERODOTVM et

y) HERODOT. lib. II. cap. 148. 149.
z) Vid. IDEM lib. II. cap. 147. 148.
a) Videat. IDEM. l. c. cap. 148. *b)* l. c.
c) Lib. XVII. pag. 811.
d) Memoires pag. 159. ſeqq.
e) l. c. p. 165. ſeqq.

Digitized by Google

et DIODORVM Moeridis paludis nomine indicare canalem *Bathen*.. Conf. §. XXIV. Praeterea accurate conferenti ea, quae HERODOTVS et STRABO locis laudatis de *Labyrintho* memoriae prodiderunt, facile apparebit, vtrumque de eodem *Labyrintho* loqui; modo obſerues, HERODOTVM eius ſitum deſcribere, qualis eſt a ſeptemtrione verſus meridiam, STRABONEM vero, quatenus ille ab oriente verſus occidentem porrigitur. Arabes noſtrae aetatis *Labyrinthum Kaſr Karoan* h. e. *arcem Charonis* appellant *f*). — Quod reliquum eſt, opera quam *Pyramidibus* exſtruendis et *Labyrintho* impenderunt Aegyptii, perennem ſui memoriam ad omnem poſteritatem transmiſerunt, et, quotquot antiquiorum et recentiorum Aegyptum adierunt, in ſtuporem verterunt omnes *g*).

Sequitur, vt in *Heptanomidis deſcriptione* vrbes ſubiiciamus, quarum ab HERODOTO iniecta eſt mentio.

Crocodilorum vrbs, ἡ Κροκοδείλων πολις, quae poſtea *Arſinoe h*), ſita erat paullo ſupra Moeridis lacum, Labyrintho autem finitima erat *i*). Condidit eam Menes, qui primus Aegypti rex perhibetur,

f) POCOCKE *Beſchreib. des Morgenl.* T. I. pag. 97.

g) De LABYRINTHO fuſius exponit. LARCHERIVS Tom. II. pag. 472. ſeqq. — Veterum et recentiorum de eo narrationes excuſſit et pertractavit Ill. GATTERER *Allgem. Weltgeſch.* T. I. pag. 499-508.

h) STRABO lib. XVII. pag. 811. D.

i) HERODOT. lib. II. cap. 148.

Digitized by Google

tur, teſte DIODORO *k*), cauſſam ſubiungente, qua ad eam condendam adduci ſe paſſus ſit Menes. Hac in vrbe *Crocodilus* colebatur, quem Aegyptiorum plerosque maiorem in modum perſequutos eſſe narratum accepimus *l*). Haud longe a *Feio Crocodilorum vrbis* rudera ſuperſunt in loco, *Medinet — Fars* h. e. *vrbs Perſarum* dicto *m*).

Hermopolis, ἡ Ἑρμεω πολις, *n*), h. e. *Mercurii ciuitas o*). Verba HERODOTI, in quibus huius vrbis mentio ſit, lib. II. cap. 67. obuia: τας δε Ἰβις ἐς Ἑρμεω πολιν, ſcribarum aberrans oculus praeteriuerat; a WESSELINGIO tamen ex Codd. quibusdam reſtituta ſunt. Duae huius nominis Veteribus memorantur Aegypti vrbes, magnitudine diuerſae, vnde et altera *Hermopolis parua*, altera *magna* appellatur. *Parua* erat in regione Aegypti inferioris occidentali, quae eſt extra Deltam, hancque D'ANVILLIVS *p*) eandem credit, quae noſtro aeuo *Damanhur* dicitur; at ILL. MICHAELIS *q*) haud ſine omni veri ſpecie *Hermopolin paruam* eam vrbem putat, quae *Menelai* nomine priscis auctoribus venit. Haec vero obiter dicta ſunto; *Hermopolis* enim *parua* apud HERODOTVM intelligi

k) Lib. I. pag. 80. (pag. 56. C.)

l) HERODOT. lib. II. cap. 69. STRABO l. XVII. pag. 817. A.

m) D'ANVILLE Memoires pag. 167.

n) HERODOT. lib. II. cap. 67.

o) PLINII Hiſt. Nat. lib. V. cap. 9.

p) Memoires pag. 70.

q) Ad ABVLFEDAM not. 82. pag. 43. ſeqq.

Digitized by Google

ligi non posse videtur. Potius de *Hermopoli magna* cogitandum, quae fuit in *Heptanomide* inter Nilum et Canalem Iosephi, cum propter *Ibii* seu *Ibiu* mansionem, 24. milliariis ab illa seiunctam *r*), tum, quoniam *Ibis* Mercurio sacra fuisse perhibetur. *Hermopolin* nostram hodieque superesse in pago *Aschmunein*, refert SICARDVS, testis oculatus *s*).

Supereſt, vt de *Oasi magna*, Heptanomidi adscripta, exponamus, Haec vero

Oasis, ἡ Ὄασις, diserte HERODOTO et πόλις et χωρος dicitur, a *Samiis ex Aeschrionea tribu oriundis* (§. XXVI.) habitata, eaque a Thebis septem dierum iter distare, regio autem, quae est inter

r) Vid. *Itinerarium* ANTONINI pag. 157.

s) Vid. Memoires des Missions de la Compagnie de Iesus Tom. II. pag. 208 - 216. pag. 260 - 262. Add. ILL. MICHAELIS ad ABVLFEDAM not. 222. et 225. D'ANVILLE Memoires pag. 70. et eiusdem Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 29. — Non erroris accusandi sunt, qui cum AMMIANO MARCELL. lib. XXII. cap. 16. *Hermopolin magnam* ad Thebaidem reuocant. Heptanomis enim et Thebais saepius vno Thebaidis nomine comprehenduntur. Suspicatur ILL. MICHAELIS, (ad Abulfedam pag. 105. et Spicileg. Geogr. Hebraeor. exterae post BOCHARTVM Tom. I. pag. 475.) *Aschmunein* superioris Aegypti eandem regionem esse, quae hebraice חשמנים vocatur, atque vt remotioris Aegypti, verum aliquando Deum adoraturae describitur Ps. LXXIII. 32.

inter vtramque vrbem, omnino arenoſa perhibetur *t*). STRABO *u*) tres Oaſes eſſe tradit, duas PTOLEMAEVS *v*), *paruam* et *magnam*. *Magnam* innuere HERODOTVM dubio caret. Prope hanc *referente eodem w*) Cambyſis exercitus, adverſus Ammonios proficiſcens, dum prandium caperet arena obrutus periit *x*).

Ceterum non eſt, quod in nomine *Beatorum inſularum*, *των Μακαρων νησων y*), quo *Oaſin* illam inſigniuit HERODOTVS, haereamus. Haec enim regio, licet vndique aliquot dierum iter arenarum ſolitudine circumdata eſſet, ipſa tamen aqua, vino,

t) HERODOT. lib. III. cap. 26.

u) Lib. XVII. pag. 791. A.

v) Lib. IV. 5. pag. 260.

w) HERODOT. l. c.

x) Haud aliter IVSTINVS lib. I. cap. 9. *Ad Ammonis nobiliſſimum templum expugnandum exercitum mittit* (Cambyſes): *qui tempeſtatibus et arenarum molibus oppreſſus interiit.*

y) Conf. EVSTATHIVS ad HOM. Od. δ'. 563. pag. 1509. Add. ILL. HEYNII Opuſcul. Vol. I. pag. 396. Appellatio inſulae, quam Oaſi tribuit HERODOTVS STRABONIS loco, qui lib. XVII. pag. 791. A. illuſtratur. Ἄνασεις, inquit, οἱ Αἰγυπτιοι καλουσι τας οἰκουμενας χωρας, περιεχομενας κυκλῳ μεγαλαις ἐρημιαις, ὡς ἂν νησους πελαγιας, *Anaſes Aegyptii vocant habitatas, circumdatas circumcirca magnis deſertis, quaſi inſulas pelagicas.* De origine nominis vid. et BOCHARIVS Phaleg. lib. IV. cap. 29. p. 320. D. E. Add. IOHVS LVDOLFVS in Comment. ad Hiſt. ſuam Aethiopicam pag. 50. ſeq.

Digitized by Google

ceterisque rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis abundabat *z*). Accuratiorem Oaſis noſtrae deſcriptionem debemus Viro docto DV ROVLE *a*). Omnis regio hodie *el- Ouah* ſ. *al- Wah* appellatur *b*).

§. XXXIII.

2. *Thebaidis deſcriptio.*

Nomen; Fines; Urbes; Oppida; Inſula.

Accedimus tandem in *deſcriptione Aegypti Herodoteae* ad *Thebaidem*, quae ab Heptanomide incipiens ad Aethiopiae fines porrigitur, patet autem *Thebais* circuitu 6120. ſtad. HERODOT. lib. II. cap. 15. *Thebaidis* nomen lib. II. cap. 28 et cap. 91. occurrit; at lib. II. cap. 42. non *Thebais*, ſed *Thebaicus nomus* intelligi debet. *Thebais* ſemel etiam apud HERODOT. (lib. II. c. 15.) *Thebae* Θηβαι, dicitur, quo nomine omnem adeo Aegyptum quondam veniſſe, ex eodem loco intelligitur.

Vrbes *Thebaidis*, HERODOTO memoratae, hae ſunt:

Chemmis, ἡ χεμμις, (quae Κεμμις *Heſychio* dicitur) magna Thebaidis vrbs prope *Neapolin* (ἐν-

γυς

z) STRABO l. c. Conf. CELLARII Not. Orb. Ant. P. III. lib. IV. cap. I. p. 68 - 70.

a) D'ANVILLE Memoires pag. 187.

b) l. c.

γυς Νεης πολιος *a*) h. e. *nouam vrbem* templum habuit Perſei, Danaes filii; HERODOT. lib. II. cap. 91. ſita autem erat inter Aphroditopolin et Ptolemain, teſte STRABONE lib. XVII. pag. 814. B. Appellabatur etiam *Panopolis*, ἡ Πανος πολις, a Pane, paſtorum numine, quem ſocium Oſiris habuiſſe fertur, cum in Aethiopes expeditionem faceret. Namque, DIODORO teſte, *b*) non ſolum in honorem Panis, quem in primis venerabantur Aegyptii, multa ſimulacra in quouis templo ponere ſolebant, ſed etiam in eius honorem *Chemmin*, vrbemin Thebaide, condiderunt, quod interpretantur *Panis vrbem*. Nunc appellatur *Echmim* ſ. *Echmin*, ſiue *Achmim* ſeu *Ichmim* *c*).

Neapolis, ἡ Νεη πολις, h. e. *noua vrbs*, ab HERODOTO *d*) prope Chemmin et Thebaicum nomum ponitur. Facile credimus, vrbem noſtram eandem eſſe, quae PTOLEMAEO καινη πολις, *noua vrbs*, audit; monuit tamen D'ANVILLIVS *e*), *Caeneopolin* ſeu *Neapolin* 70. milliariis Romanis abeſſe a Chemmi. Conf. not. a). Nunc pagus

 eſt

a) In his verbis cum CELLARIO anxie haerendum non eſt, qui dubitauit, an *Chemmis* et *Panopolis* eiusdem vrbis nomina ſint, cum longius hinc diſtare *Neapolin* certum ſit.

b) *Diodor.* lib. I. pag. 16. (p. 11. A.)

c) ANVILLE Memoires pag. 191 - 193. IABLONSKI Panth. Aegypt. lib. II 7, 204. Conf. WESSELING. ad HERODOTVM lib. II. cap. 91. Add. ABVLFEDAE deſcriptio Aegypti pag. 17. et ILL. MICHAELIS ad *Abulf.* not. 165.

d) lib. II. cap. 91.

e) Memoires ſur l'Egypte pag. 196.

Digitized by Google

eſt, et dicitur *Kene*, eodem teſte l. c.; a LEONE AFRICANO *Cancha* appellatur. *f*).

Thebae, αἱ Θῆβαι, ſaepius memorantur HERODOTO *g*). Aberat celeberrima haec vrbs ab Heliopoli novem dierum nauigatione ſeu 4860. ſtadiis, ab Elephantine 820. ſtadiis *h*). Templi Iouis Thebaici, et oraculi eius celeberrimi, quod *Thebis* fuit, lib. II. cap. 42. 54. 58. aliisque in locis ab *Auctore noſtro* iniecta eſt mentio.

Thebae, quae et *Dioſpolis i*) (ἡ Διος πολις, *Iouis vrbs*) *magna* dicuntur, non nomi Thebaici ſolum, ſed adeo omnis Thebaidis primaria vrbs erat. Memoriae proditum legimus apud DIODORVM, veteres auctores et de tempore, quo condita ſit vrbs noſtra et de eius conditore, item de antiquiſſimo

f) pag. 719. 720. Add. NIEBVHR. Tom. I. pag. 64.

g) lib. II. cap. 3. 9. 69. cet.

h) HERODOT. lib. II. cap. 9.

i) Haud raro Aegyptii oppida ſua ab iis, quos diuino honore proſequebantur, appellarunt, quod interpretati ſunt, quaſi ab ipſis numinibus oppida condita eſſent. της πασης οἰκουμενης κατα μονην την Αἰγυπτον εἰναι πολεις πολλας ὑπο των ἀρχαιων θεων ἐκτισμενας, οἰον Διος, Ἡλιου, Ἑρμου, Ἀπολλωνος, Πανος, Εἰληθυιας, ἀλλων πλειονων, h. e. *in terrarum orbe in ſola Aegypto ab antiquis diis dicuntur plurima oppida eſſe condita, utpote ab Ioue, Sole, Mercurio, Apolline, Pane, Lucina et multis aliis.* EVSEBIVS in praepar. euang. lib. III. cap. 3. Simili modo aliae vrbes apud Aegyptios ex animalium vocabulis nuncupantur. Vid. HIORONYMVS aduerſus IOVINIAN. lib. II. cap. 6.

Digitized by Google

mo eius nomine *k*) disceptare. Alios quidem tradere conditam eam ab Osiride hunc que matris suae nomen ei indidisse, alios affirmare, Busiridem secundum multis annis post eam condidisse posteros vero insequuta aetate a templo in honorem Iouis hac in vrbe exstructo, eam et DIOSPOLIN et THEBAS appellasse *l*). Veterum *Thebarum* magna vestigia vidit Germanicus *m*). Earum ruinae hodieque cernuntur in utraque Nili ripa. Quae orientali Nili ripae adiacent, a peregrinantibus appellantur *Luxor*, rectius *Aksor* seu *Aksorein*; postea *Carriak* et *Madamut* dici coeperunt. Occidentalia *Thebarum* rudera vocantur *Korna* et *Medinet Habu*. Regum Thebanorum sepulcra hodie nomine *Biban - el - Moluk* veniunt *n*), Anti-

k) Antiquissimum *Thebarum* nomen fuit forte *Tritonis* quo venit apud APOLLONIVM. IV. 260. Ita autem vocabatur, quoniam Nilo adiacebat, qui et *Triton* dicebatur.

l) Vid. DIODOR. lib. I. pag. 14. (p. 9. C. D.) coll. pag. 42. (p. 29. D) MARMOL. Tom. III. pag. 280. Thebarum nomine cum haud paucas vrbes prisco aeuo insignitas fuisse videamus, idem inter appellatiua nomina referendum videtur. Teste enim VARRONE (dere rustica, lib. 3. cap. 1.) vocula *Tebe* apud Aeoles in Boeotia et apud Sabinos, a Pelasgis oriundos, significat *locum editum*. et, si RELANDO (Palaestina pag. 1033.) credimus, vrbs Coptica lingua *Thbaki* dicitur. Satis quidem constat, vrbem nostram in loco edito non fuisse sitam: sed ob magnitudinem et ambitum *altae vrbis*, et *vrbis κατ' ἐξοχην* nomina in eam quadrare, quisquam facile intelliget.

m) TACIT. Annal. lib. II. cap. 60.

n) Ii omnino erant recentioris temporis scriptores, v. c. D'HERBELOTIVS pag. 274. a. ut peregri-

quas Thebas, quae in his ruderibus ſuperſunt, ſuo aeuo non amplius quam trecentas familias numerare, pulcherrimis alioqui ornatas eſſe aedificiis, affirmat LEO AFRICANVS pag. 681. Veterum de ambitu Thebarum ſententias mirum quantum! diſcrepare inter omnes conſtat. Gordium hunc nodum diſſecat D'ANVILLIVS *o*), ſed ILL. GATTERER *p*) eum ſoluit et expedit. Antiqui ſcriptores, qui ambitus Thebarum mentionem faciunt, DIODORVS, CATO *apud* STEPHANVM BYZANTINVM, STRABO et EVSTATHIVS diuerſa tempora reſpexiſſe dicendi ſunt. Aliis enim temporibus alius fuit *Thebarum* ambitus. Haud dubie et hic locum habet, quod ſaepiſſime in antiquis auctoribus locum habere deprehendimus, ut veterum amanuenſium culpa numeri interpolati ſint. Lege etiam, quae de *Thebis* expoſuimus in *Geographia* HOMERI §. CXLI. pag. 157. 158.

Oues

regrinatores taceam, qui *Thebas* non diuerſas eſſe crediderunt a *Kous* noſtrae aetatis. Negat idem celeberrimus GATTERER in Allgem. hiſtor. Bibliothek Tom. XI. pag. 40. — In literis ſacris *Thebae* dicuntur נא־אמון de quo nomine conf. BOCHART. Phaleg. lib. I. cap. I. pag. 6. 7. Varia Thebarum nomina antiquiora et recentiora recenſent D'ANVILLIVS Memoires pag. 198 ſeq. et ILL. MICHAELIS ad ABVLFEDAE Aegvpti deſcript. not. 176. pag. 86. et ad *Nahum* III. 8.

o) Memoires pag. 20.

p) Allgemeine hiſtoriſche Bibliothek, Tom. XI. pag. 95-97.

Digitized by Google

Oues et crocodili a Thebanis sacri credebantur, non nisi capras immolare fas habebatur *q*). De ariete singulis annis Thebis mactari solito vid. HERODOTVS lib. II. cap. 42.

Psammenito rege Thebis semel pluit guttis, quod φασμα μεγιστον *prodigium maximum* in Aegypto declarat HERODOTVS, diserte negans, Thebanorum nisus auctoritate et testimonio, nec ante Psammenitum nec post eum ad suam usque aetatem pluuiam guttatim unquam super Aegyptum superiorem effusam esse *r*). Hybernis mensibus in Aegypto pluere, rarissime quidem in superiore, saepius tamen in inferiore, affirmat IOBVS LVDOLFVS *s*), irridens veteres auctores, qui pluuiae omnino expertam esse Aegyptum tradunt. Addit tamen, talem pluuiam intelligendam non esse, quae plantis vel segetibus sufficiat.

Syene, ἡ Συηνη, vrbs Thebaidis, haud longe ab Elephantine dissita *t*). Addit PLINIVS *u*), Syenem etiam esse peninsulam. Verba eius haec sunt: *ditionis Aegypti esse incipit a fine Aethiopiae Syene v*): *ita vocatur peninsula mille passuum ambitu,*

q) HERODOT. lib. II. cap. 42. 69.

r) HERODOT. lib. III. cap. 10. Cf. DIODOR. I. pag. 38. (pag. 27. B.)

s) in commentar. ad Histor. suam Aethiop. pag. 125.

t) HERODOT. lib. II. cap. 28.

u) Hist. Nat. lib. V. cap. 9.

v) Terminus Aegypti ab HERODOTO non *Syene* dicitur sed *Elephantine* lib. II. cap. 17.

Digitized by Google

in qua caſtra ſunt w), latere Arabiae. Syene Oppidum ipſi lib. II. cap. 73. memoratum. In *Syena* puteus eſſe dicitur, ſolſtitii aeſtiui index, quia tropico circulo haec loca ſubiacent, ut, ſole circa Cancri principium verſante, nulla in meridie umbra habeatur et gnomones horologici ſine umbra ſint *x*).

Inter Syenem et Elephantinem duo HERODOTO memorati montes, *Crophi* et *Mophi*, e quorum medio Nili fontes oriri Saita quidam ἱερογραμματευς falſo perſuaſum ſibi habuit *y*).

Ceterum *Syene vrbs* nunc appellatur *Aſſouan* rectius *Aſſuan z*) quam cave ne cum *Aſna* confundas, idquod feciſſe deprehenditur GRAMAYE *a*). *Aſſouan* et *Aſna* ſatis diſtingunt DE LA CROIX *b*).

LEO

w) Illuſtrantur haec ex STRABONIS lib. XVII. pag. 817. D. Ἐνταῦθα, inquit *Strabo*, τρεις σπειραι Ρωμαιων ἱδρυμεναι φρουρας χαριν, *ibi tres cohortes Romanorum collocatae erant cuſtodiae cauſa.*

x) STRABO lib. II. pag. 95. A. lib. XVII. pag. 817. c. PAVSAN. lib. VIII. c. 38. EVSTATH. ad Dionyſ. v. 223. PLINII Hiſt. Nat. lib. II. cap. 73. LVCAN. lib. II. 587.

y) HERODOT. lib. II. cap. 28. Cf. *Weſſeling.* ad *Herodot.* l. c.

z) D'HERBELOT pag. 579. b. pag. 580. b. MARMOL Tom. III. p. 300. D'ANVILLE memoires pag. 214. et Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 37. Conf. de *Syene* ILL. MICHAELIS ad ABVLFED. not. 199. pag. 97.

a) Africa illuſtrata pag. 3.

b) Tom. I. pag. 178. 179.

Digitized by Google

LEO AFRICANVS *c*), DAPPERVS (p. 109. a.) aliique. Aethiopibus Syene dicitur GVAGERE. *d*).

Elephantine, ἡ Ελεφαντινη πολις *e*), distans a Thebis 820. stadiis *f*), sita erat in insula Nili eiusdem nominis. Terminus Aegypti una cum *Cataracte* (et quidem *minori*) declaratur ab HERODOTO lib. II. cap. 17. nam *Cataractes maior* supra hunc est in Aethiopia. Nostra aetate *Gezíret el Say* dicitur g). In vrbe *Ichthyophagi h)* habitabant, qui linguae Aethiopicae cognitione imbuti erant *i*).

Duodecim schoenorum nauigatione supra Elephantinem *k*), memoratur adhuc ab HERODOTO.

Tachompso, ἡ Ταχομψω, quae ipsi Nili insula audit, cuius partem alteram (et quidem septentrionalem) Aegyptii, alteram (meridionalem) Aethiopes tenere dicuntur. Meminit etiam paludis ingentis prope *Tachompso* et circum eam Aethiopum Nomadum habitacula ponit; ipsam autem paludem cum Nilo coniunctam esse tradit *l*). *Tachomp-*

c) pag. 728-730.

d) MARMOL l. c.

e) HERODOT. lib. II. cap. 9. 28. 29. 30. 31. cet.

f) HERODOT. lib. II. cap. 9.

g) D'ANVILLE Memoires sur l'Egypte pag. 214.

h) Aegyptii *Ichthyophagi* memorati HERODOTO. lib. II. cap. 77. Etiam Indici lib. III. 5. 98

i) HERODOT. lib. III. cap. 19. 20. seqq.

k) Libycum Aegypti latus in Elephantine definit; Arabicum longius versus meridiem procurrit.

l) HERODOT. lib. II. cap. 29.

Digitized by Google

chompſo inſula etiam MELAE (lib. I. cap. 9.) dicitur, PLINIO autem (Hiſt. Natur. lib. VI. cap. 29.) oppidum. Inſula igitur eſſe videtur *Tachompſo* cum vrbe cognomine. De inſula noſtra lege etiam D'ANVILLIVM. Memoires ſur l'Egypte pag. 217. Hactenus de Aegypto.

Epimetrum I.

De vrbium, oppidorum incolarumque Aegypti numero.

Teſte EVSEBIO plures olim in Aegypto vrbes, quam in omni reliquo terrarum orbe fuiſſe perhibentur. E commentariis ſacris memoriae prodit DIODORVS SICVLVS lib. I. pag. 27. (p. 19. B.), priſcis temporibus in Aegypto plures, quam 18000 vrbes vicosque memorabiles fuiſſe, et HERODOTVS noſter lib. II. cap. 177. (Conf. PLINII Hiſtor. Nat. lib. V. cap. 9.) ſub imperio Amaſidis Aegyptum 20000 vrbibus floruiſſe teſtatur. PTOLEMAEI, LAGI F. aetate vltra 30000 *a*) recenſitas eſſe, eundemque vrbium Aegypti numerum ſuo adhuc tempore conſtare, ita narrat DIODORVS l. c. vt cur fidem ei habere nolis, plane non videamus. THEOCRITVS *b*) autem PTOLEMAEI PHILADELPHI imperio 33339 vrbes ſubiectas

a) Poſt D'ORIGNY (Egypte anc. Tom. I. p. 124. ſeqq.) *τρισμυριους* tuetur Celeberrimus HEYNE Opuſcul. Vol. I. p. 225. Vulgo *τρισχιλιους* legunt apud. DIODORVM l. c. quam lectionem probat LARCHERIVS Tom. II. p. 514 not. a.

b) Idyll. XVII. 82. ſeqq. Hocce Idyllium cum in laudem PTOLEMAEI PHILADELPHI ſcriptum, eique traditum ſit, vrbium numerus in eo conſtitutus in dubitationem vocari omnino nequit.

Digitized by Google

iectas fuisse praecise affirmat, quo tamen numero victoriarum praemia, Phoenices, Coelesyriae, Arabiae, Libyae cet. vrbes comprehensas esse ipse subiicit. Quae omnia perpendenti apparebit, fieri non potuisse, vt in constituendo Aegypti vrbium numero errauerint isti scriptores, ideoque plane adsentiendum non esse D'ANVILLIO, qui plus iusto illum numerum minuit. Neque igitur mirum est, quod ei non adstipuletur celeberrimus GATTERERVS (Allgem. hist. Biblioth. Tom. XI. pag. 37.) quamquam h. l. rationes suas subiungere ipsi non licuit. Ex tanto autem vrbium oppidorumque numero, quantus fuerit numerus incolarum facile perspici poterit. In populi quondam censu septuagies centena millia h. e. septem Milliones fuisse numerata, nec sua aetate infra tricies centena millia censeri refert DIODORVS l. c. *c*).

Epimetrum II.

De Phoenicum circumuectioue Libyae.

Inter varias de *circumuectione Libyae*, antiquissima aetate diuersisque temporibus peracta relationes nulla sane fide magis digna est, quam *Herodotea de Phoenicum circumuectione Libyae narratio* quae lib. IV. cap. 42. exstat. Cui narrationi allata hac ratione, ex ipso HERODOTO petita, fidem multi tribuerunt, nimirum, quod referat HERODOTVS, *Phoenices* narrasse, se cum circumnauigarent Africam, solem ad dextram, h. e. a septentrione habuisse, et addat, hoc quidem non sibi credibile videri

c) Incredibilis omnino videtur Aegypti incolarum, vrbiumque numerus, antiquis scriptoribus memoratus. Sed lege celeber. HEYNII Opusc. Vol. I. p. 225. 226. 259. 260.

Digitized by Google

videri, forte tamen alios fore, qui fidem ei haberent. Affirmant enim, hanc ipsam HERODOTI obseruationem satis probare, illam *de Phoenicum circumuectione Libyae* narrationem non esse commentitiam. Necesse enim fuisse, vt illud eueniret *Phoenicibus*, Africam circumuauigantibus. Iam vero addunt, cum id, in quo veritas illius narrationis in primis versatur, ita comparatum sit, vt isto aeuo, cum vix aliqua Astronomiae cognitione imbuti essent homines, omnino fingi non posset, vera sit illa narratio, necesse esse.

Multas quidem easque haud contemnendas obiectiones in medium profert MANNERTVS, Vir clarissimus, (*Geographie der Griechen und Römer pag.* 21.) quibus ostendat, commentitiam esse et ipsam HERODOTI narrationem. Sed quae viro clarissimo opponi possunt, alii tempori reservamus, libere hic profitentes, *Herodoteae narrationi* nos quidem adsentiri, licet recens moniti simus a Viro docto, nobis amicissimo, ne inde, quod a septentrione solem *Phoenices* vidisse h. e. quod circulum aequinoctialem transiisse narrantur, eos meridialem Africae verticem circumnauigasse et per Herculis Columnas in Aegyptum rediisse, temere colligamus.

Epimetrum III.

De mensuris geographicis, HERODOTO *memoratis nonnulla.*

Mensuras geographicas, HERODOTO memoratas, subiicimus, vt distantiae locorum, ab Auctore nostro commemoratae et definitae facili negotio intelligantur. *Mensurae*, quarum meminit, hae

hae sunt: (*Pes* = 4 palmis; *cubitus* = 6 palmis; *Orgyia* = 6 pedibus); *Stadium* = 600 pedibus; *Parasanga* = 30 stadiis; SCHOENVS = 60 stadiis. Vid. HERODOT. lib. II. cap. 6. et 149.

De *schoeno* et *parasanga* age! pauca subiungamus!

Schoenum HERODOTVS lib. II. cap. 6. μετρον Αἰγυπτιον, *Mensuram Aegyptiacam* appellat; ATHENAEVS autem 3. 34, et CALLIMACHVS in fragmento a PLVTARCHO *a*) seruato, persicum nomen declarant. Erat autem apud Aegyptios ἀστατον το της σχοινομετρον, *inconstans schoenorum mensura b*) referente STRABONE *c*) lib. XVII. pag. 804. A. ideoque non est, quod mireris, aliam atque aliam apud diuersos Auctores, esse schoenorum mensuram, quae a sexaginta Illis stadiis, quae schoenus HERODOTI continet, longe recedit PLINIVS (Hist. Nat. lib. XII. cap. 14. ait. *Schoenus patet Eratosthenis ratione stadia* 40 (cum quo consentit THEOPHANES apud STRABONEM lib. XI. pag. 530. B.) *hoc est, passuum quinque millibus: alibi* 32, *stadia singulis schoenis dedere* Cf. PLINII Hist, Nat. lib. V. cap. 10. Ad

a) De exilio pag. 534. μηνεργειν Σγοινῳ Περσιδι την συφιην, *nos non debere metiri schoeno Persico sapientiam.*

b) h. e. aliis in locis alia erat apud ipsos Aegyptios schoenorum magnitudo.

c) STRABO l. c. A. B. ARTEMIDORI auctoritate declarat, a Memphi ad Thebaidem vsque schoenos singulos 110 stadia continere a Thebaide ad Syenem 60 stadia, et a Pelusio vsque ad Syenem 30 stadia.

Digitized by Google

Ad ea, quae de *Schoeno Aegyptiorum* hoc loco commemoranda esse iudicamus pertinet et HIERONYMI locus (in comment. ad JOEL cap. 3.) qui ita habet: *In Nilo flumine, siue in riuis eius, solent naues funibus trahere. certa habentes spatia, quae funiculos* (σχοινους seu σχοινια) *appellant, vt labori defessorum recentia trahentium colla succedant* Iam cum in *Itinerario* ANTONINI locus commemoretur inter Casium montem et Pelusium, nomine πεντασχοινον, et a Casio monte et a Pelusio 20. milliaria Romana, distans, apparet, quinque Schoenos cum 20, vnum vero cum 4 milliariis Romanis Ex his igitur consequens estis stadia Aegyptiaca conuenire cum uno milliario Romano Haec qui probe tenet, locorum distantias, ab HERODOTO commemoratas et definitas, haud difficili negotio sd milliaria Romana poterit reuocare *d*).

Parasanga dubia mensura est STRABONIS loco, qui lib. XI. pag. 518. C. exstat. Τον δε Παρασαγγην, inquit τον Περσικον, οἱμεν ἑξηκοντα σταδιων φασιν, οἱ δε, τριακοντα, ἡ τετταρακοντα, *Parasangam Persicam alii 60 stadiorum esse dicunt*, alii 30, 40 alii. At non est, quod in hac discrepantia haereamus cum enim plerique, HERODOTVM sequuti, Parasangam 30 stadiorum esse dicant, hicce numerus verior habendus est, quoniam erat communior. Hinc quoque apparet, schoenum HERODOTI duas eiusdem continere Parasangas. Atque haec de mensuris Geographicis, HERODOTO memoratis, sufficiant.

Quae

d) De schoeno dissertationem scripsit D'ANVILLIVS in Memoires de l'Acad. des Inscript. Tom. XXVI. pag. 82.

Digitized by Google

Epimetrum IV.

Quae *de aeris temperie, tum, de bonis Aegyptiacae terrae*, denique *de Aegyptiorum diuiſione* et *de praecipuis eorum moribus atque inſtitutis* ab HERODOTO narrata accepimus, cum non omnino negligenda videantur, ea paucis iamiam declaraturi ſumus.

Vario coelo diuerſis anni temporibus non admodum vtuntur Aegyptii; quo ſit, vt morbos vitent, et inoffenſa gaudeant valetudine. HERO. lib. II. cap. 77. DIODOR. lib. I. pag. 35. (p. 25. A.) SALLVST. Bello Iugurth. pag. 75 *a*).

Inter *animantia Aegypti*, HERODOTO memorata, prae ceteris nota ſunt duo, *Crocodilus*, HERODOT. lib. II. cap. 68 70. Conf. DIODOR. lib. I. pag. 31. (p. 21. D. ſeq.) et *Hippopotamus* (ὁ ἱππος ὁ ποταμιος ſ. ὁ καλουμενος ἱππος). HERODOT. l. c. cap. 72. DIODOR. l. c. pag. 31. 32. (p. 22. B. C.) Tum, *Ichneumones b*), *vrſi c*), *lupi*, *vulpes*, HERODOT. l. c. cap. 67. *boues*, cap. 37. 40. 41. *oues*, *caprae*, cap. 42. porci, cap. 70. *canes*, *feles*, cap. 66. *ſanguiſugae*, cap. 68. *ſerpentes cornuti* et *alati*, cap. 74-76. *mures aranei* cap. 67. *lutrae*, cap. 72. *Aues* HERODOTO memorantur cum aliae, vt *anſeres*, cap. 37. et *vulpanſeres*, cap. 72. *accipitres*, cap. 65. 67. *phoenices*,

a) De Nilo, qui nullos vapores emittere HERODOTO dicitur lib. II. cap. 19. Confer. §. XXI. fine.

b) Ichneumonis delineationem aeri inciſam exhibent *de la* CROIX. l. c. Tom. I. pag. 207. et SHAW Tom. II. pag. 74.

c) Conf. Conſpectus

ces, cap. 73. *anates*, *coturnices*, cap. 77. et *culices*, cap. 95. tum maxime *Ibis*, cap. 65. 75. 76. Conf. DIODOR, lib. I, p. 78. (p. 55. B.) et *Trochilus*, cap. 68. qui hodie *Sackſack* appellatur. Infinita piſcium omnigenorum copia Aegypti fluuius et paludes abundant, quibus incolae veſcuntur aut recens captis, aut maceratis, aut ſale conditis. HERODOT. lib. II. cap. 92. Moeris palus in primis propter piſcium copiam celebrata. HERODOT. lib. II. cap. 149. lib. III. cap. 91. coll. DIODOR. lib. I. pag. 48. (p. 34. A.) Ceterum piſcium 22. genera in Nilo contineri dicuntur, (DIODOR. l. c.) quorum pleraque diſerte ab antiquis Auctoribus commemorantur. Vid. HERODOT. lib. II. cap. 72. Conf. STRABO lib. XVII. pag. 812. C. D. pag. 823. B. C.

Fruges, quibus feliciſſima erant Aegypti arua, HERODOTO commemorantur hae: 1) *Lotus*, e cuius granis panem conficere ſolebant Aegyptii, lib. II. cap. 92. coll. DIODOR. lib. I. p. 30. (p. 21. c.) *Loti* deſcriptionem habes apud HERODOTVM l. c. coll. lib. IV. cap. 177. De Lotophagis, qui ex hoc fructu vinum quoque confeciſſe perhibentur, teſte auctore noſtro lib. IV. cap. 177. vide §. XLIX. ibique notam (e, -2.) Veſcebantur Aegyptii et fructu nucis oleae magnitudine, bellariorum loco, et Bybli parte inferiore. HERODOT. lib. II. cap. 92. -3) Ex *Olyra* panem coquere dicuntur Aegyptii, quem Κυλλῆσιν appellant. HERODOT. l. c. cap. 77, 4) Ex hordeo cereuiſiam coquebant, eadem fere ſaporis iucunditate, qua vinum, praeditam. HERODOT. l. c. Conf. DIODOR. lib. I. pag. 17. (p. 12. B.) et pag. 31. (p. 21.

(p. 21. D.) Solis ſacerdotibus vinum ſuppeditabatur, teſte HERODOTO l. c. cap. 37. quod vnde petierint non conſtat. Nam in compeſtribus Aegypti regionibus vites naſci diſerte negat HERODOTVS lib. II. cap. 77. *d*) - 5) *Fabis* Aegyptii veſcebantur nullis, quamquam ager ſponte ſua eas proferre dicitur. HERODOT. lib. c. cap. 37. - 6) *Sillicypria*, Aegyptiis *Riki* dicta lucernis pro aleo materiam praebebant. HERODOT. l. c. cap. 94. Conf. DICDOR. lib. I. p. 31. (p. 21. D) et WESSELING. ad HERODOT. l. l, Reliquarum quae Auctori noſtro commemorantur *arborum* et *fruticum* nomina, facili negotio e lib. II. cap. 40. 86-88. 91. 92. 94. 96. colligi poterunt.

Nobis enim properandum eſt ad ſubiungenda ea, quae *de Aegyptiorum diuiſione* et *de praecipuis eorum moribus ac inſtitutis* commemorare promiſimus.

Omnis Aegyptiorum multitudo in 7 Claſſes diuiſa erat, *Sacerdotum*, *Militum*, (quorum alii

d) Οἶνος ἀμπελινος, HERODOTO lib. II, cap. 37. memoratus, opponitur οἰνῳ κριθινῳ, *vino ex hordeo* h. e. cerenisiae. HERODOT. lib. II. cap. 77 Eodem loco negat Auctor noſter, in compeſtribus Aegypti locis vites naſci; contrarium vero tradunt DIODOR. lib. I. pag. 32. (p 22. D.) et STRABO lib. XVII. pag. 809. C. Hinc facile intelligitur, poſt. HERODOTI aetatem vites in his locis coli coepiſſe. Conf. PLINII Hiſt. Nat. lib. XIV. cap. 3. VIRGILII Georg. lib. III. 91. HORAT. Carm. I. 37, 14. Hodie quidem vinum in Aegypto deterius eſt, quoniam Arabum latrocinia vuarum maturitatem intercipiunt.

Digitized by Google

Hermotybies, alii Calasiries appellabantur, et quorum nullus opificium didicerat, HERODOT. lib. II. cap. 165. 166.) *Bubulcorum*, *Subulcorum*, (quibus solis licet natione Aegyptii essent, nunquam permissum fuit in ullum totius Aegypti templum intrare, HERODOT. lib II. cap. 47.) *Mercatorum*, *Interpretum e)*, et *Gubernatorum*. HERODOT. lib. II. cap. 164. Quorum omnium *Sacerdotum Ordo* reliquis anteponebatur; primas autem honoris a sacerdotibus *Militum Ordo* obtinebat. HERODOT lib. II. cap. 168. Aliam Aegyptiorum divisionem discimus ex DIODORI libro I. pag. 25. (p. 17. B.) et pag. 66 - 68. (p. 46. C - 47. D.). Dividebantur enim in *Ordinem Nobilium*, cui annumerabantur *Sacerdotes*, *Reges*, *Milites*, et in *Ordinem Ignobilium*, qui erant vel *Agricolae*, vel *Pastores*, vel *Opifices f)*.

Lege autem Aegyptiis statutum erat, ut filii, nullam aliam vitae rationem eligerent et optarent, nisi a patribus per manus traditam. HERODOT lib. II. cap. 166. Conf. DIODOR. lib. I. pag. 66. (p. 46. D.) et pag. 68. (p. 47. D.) Quam legem si quis violauerat, non grauissimas solum poenas, sed ipsum adeo mortis periculum subibat. DIODOR,

e) Ἑρμηνεῖς dicuntur HERODOTO lib. II. cap. 164. Intelligimus eos, qui explicabant et enarrabant verbis v. c. antiquitates, quae spectabantur in templis aliisque in locis.

f) De diuisione omnis Aegyptiorum multitudinis, quorum alii sacrorum curam agere alii militiam, alii agriculturam et artes colere perhibentur, egit STRABO lib. XVII. pag. 787. B. Lege et LARCHERII Histoire d'Herodote T. II. not. 518. pag. 494. seqq.

Digitized by Google

DOR, lib. I. p. 68. (p. 48. A.) In more etiam positum erat apud Aegyptios, ut pueros circumciderent. HERODOT, lib. II. cap. 36. 37. Conf. DIODOR. lib. I. pag. 24. (p. 17. B.) ut sibi temperarent a carne suilla, HERODOT. lib. II. cap. 47, ut senioribus honorem haberent, HERODOD. lib. II. cap. 80. ut plerique in pollinciendis cadaueribus nullis impensis parcerent, HERODOT lib. II. cap. 86. seqq. Conf. DIODOR. lib. I. pag 81. 82. (p. 57. C. seqq.) Plura denique artificia simul exercere Aegyptiorum nulli licuit; necesse tamen erat, ut uni operam nauarent; iniunctumque erat unicuique, ut singulis annis apud magistratum nomen suum profiteretur, simulque indicaret, quanam arte et quonam vitae genere necessitatibus suis consuleret. Qui vero in satisfaciendo hoc negotio aliquod vitae genus ementiri et nulli operam dare aut iniustum agitare quaestum deprehendebatur, vitae discrimen adibat. HERODOT. lib. II. cap. 177. Conf. DIODOT. lib. I. pag. 69. 70. (p. 49. A. B.) Plura de Aegyptiorum moribus et institutis relata leguntur apud HERODOTVM lib. II. cap. 35. seqq. Vnum hoc addimus quod eorum mores contrarii erant aliarum gentium moribus. HERODOT. l. c.

Digitized by Google

GEOGRAPHIA AFRICAE HERODOTEA.

SECT. II.

LIBYAE DESCRIPTIONEM COMPLECTENS.

CAP. I.

I. DESCRIPTIO I. ORAE LIBYAE *a*) ORIENTALIS *b*) MARITIMAE MARI MEDITERRANEO OBVERSAE.

§. XXXIV.

a. Regio, quam tenebant Adyrmachidae. Fines Adyrmachidarum; Portus.

Abſoluta *Aegypti deſcriptione*, ſtatim ad *Libyam* accedimus deſcribendam. Nullo enim opus eſt praefamine, cum et Conſpectum eorum, quae *hac poſteriori* libelli *ſectione* pertractanda ſunt, (Vid. pag. 3-12.) et rationes, quibus ad probandum illum, quem ſequuturi ſumus, in rebus exponendis ordinem (Vid. praefat.) adduci nos paſſi ſumus, ſuo quodque loco exhibuimus.

Libyae

a) Vid. §. LXXVI. not. a).

b) Conf. Conſpect. not. a)

Libyae gentium ab Aegypto habitantium primos esse refert HERODOTVS *Adyrmachidas*, Ἀδυρμαχίδας, *c*) eosque ab Aegypto *d*) vsque ad portum, cui nomen *Plcunus* est, h. e. vsque ad *Giligammas e*) habitare affirmat *f*). Tenebant igitur oram totius nomi, quem vocant, Libyci, qui est in Marmarica.

Infequuta aetate Graecos scimus in superiora Libyae loca *Adyrmachidas* repulisse, Libyaeque oram maritimam ab ipsis Graecis habitari coepisse. Atque haec ipsa tempora respexisse dicendus est PTOLEMAEVS, qui *Adyrmachidas* ad interiora Libyae remouit. Τὰ δὲ μεσημβρινὰ, (scil. τοῦ τῆς Λιβυης νομου) inquit lib. IV. 5. pag. 256. 257. Βουζῆις, καὶ Ὀγδαιμοὶ μεθ' οὺς Ἀδυρμαχίδαι.

c) Ita omnino scriptum est huius gentis nomen apud HERODOTVM lib. IV. cap. 168. PLINIVM Histor. Natur. lib. V. cap. 6. SILIVM ITALICVM III. 279. aliosque. Non nisi PTOLEMAEVS lib. IV. 5. pag. 257. quantum equidem scio eam appellat Ἀδυρμαχῖται, quam tamen lectionem, cum ea testimonio omnium, qui huius gentis mentionem faciunt, refutetur alteri postponendam censemus. Haud dubie et apud PTOLEMAEVM legendum Ἀδυρμαχίδαι.

d) Hoc est, a Plinthinete sinu, ad quem vsque versus occasum Aegyptus pertinebat. HERODOT. lib. II. cap. 6. Minus recte igitur SCYLAX (Vid. HVDSON. Geogr. min. Vol. I. pag. 44.) *Adyrmachidas* a Canopico Nili ostio habitare affirmat.

e) HERODOT. lib. IV. cap. 168. coll. cap. 169. princ.

f) Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 168.

Digitized by Google

Mores *Adyrmachidarum* vtriusque ſexus exponit HERODOTVS lib. IV. cap. 168. cui loco iungendus SIL. ITAL. III. 278-281. et IX. 223. 224.

Pertinebat gens noſtra, vti monuimus, vsque ad portum, qui *Pleunus*, ὁ Πλευνος, g) appellatur, SCYLACI vero pluraliter πλυνοι. Ponitur ab eodem dimidii diei iter navigio ſuſceptum citra *Petrantem magnum*; notiſſimum Libyae portum, ita, vt idem eſſe videatur, qui vulgo *Panormi* nomine venit.

§. XXXV.

β. Regio a Giligammis inhabitata,

Fines; Regio amoena; Portus; Inſulae; Tractus Silphio Ferax.

Giligammae, οἱ Γιλιγαμμαι *a*), ab Adyrmachidis verſus occidentem, (h. e. a Pleuno portu, §. XXXIV.) vsque ad *Aphrodiſiadem* inſulam habi-

g) Alii in HERODOTO legunt Πλυνος extruſo τῳ ε; at πλευνος ſcriptio WESSELINGIO probata. TZETZES ad LYCOPHRON. verſ. 149. πλυνον πολιν Λιβυης commemorat; quae vrbs ſi portui noſtro accubuerit Πλυνος ſcriptio ſane praeferenda. Conf. LARCHER. Tom. III. pag. 472. 473.

a) Populus hicce apud STEPHANVM BYZANT. appellatur Γιλιγαμβαι; in *Editione Aldina* dicitur Γιγαμαι; verum eam huius nominis ſcribendi rationem, quam nos ſequuti ſumus, tuentur Codd. optimi. Vid. WESSELING. ad HERODOT l. c. et LARCHER. Tom. VII. p. 160.

Digitized by Google

habitabant *b*). Incolebant igitur oram Marmaricae inde a Fine Libyci nomi, et partem orae Cyrenaicae.

In continentis Libyae parte, a *Giligammis* habitata, e regione insulae Plateae *c*), adeoque in tractu Silphio ferace, de quo postea exposituri sumus, commemoratur HERODOTO,

Aziris, ἡ Ἀζιρις *d*), quam nomine aliquam regionem eum iudicasse haud obscure perspicitur. HERODOTVS enim lib. IV. cap. 157. *Azirim* ab vtroque latere (orientali et occidentali) colles silvosos- eosque amoenos (Conf. CALLIMACH. Hymn. in Apoll. 89.) et fluuium habere affirmat. Quorum fluminum alterum *Paliurum* fuisse conjicimus, alterum vero exiguum illud flumen, quod prope Drepanum promontorium mari infertur. Scilicet HERODOTVS *in medio* ore, a GILIGAMSIS frequentatae, adsitam esse insulam *Plateam* tradit lib. IV. cap. 166.; capite vero 157. eiusdem libri e regione huius insulae *Azirin* ponit, dicta autem flumina sunt ab vtroque latere mediae partis orae a *Giligammis* inhabitatae, e regione insulae *Plateae*. Inhabitabatur autem *Aziris* non quidem a *Giligammis*, sed a *Batto* et eis, qui huius imperio suberant, hoc est, a *Theraeis* in Libya aduenis, posteaquam hi, relicta *Platea* insula, in continentem Libyae, ei insulae obuersam, sese

b) HERODOT. lib. IV. cap. 169.

c) Vid. HERODOT. l. c. cap. 157.

d) In STEPHANO BYZ. scribitur Ἀζιλις, item in CALLIMACHO Hymn. in Apoll. 89.

Digitized by Google

contulerant *e*). Battum in tractu hoc amoeno vrbem condidisse certum est *f*); et, licet vrbis nomen in HERODOTO non occurrat, eam tamen et ipsam *Aziris* nomine appellatam fuisse affirmare nulli dubitamus. Verum in nominis huius vrbis diuersa apgellatione non est, quod haereamus. STEPHANO BYZANTINO dicitur Ἄζιλις, D'ANVILLIO, *Axylis* g). Hodie pagus est.

Giligammarum orae adscriptus ab HERODOTO nostro

Portus Menelai, ὁ Μενελαΐος λιμην, qui a STRABONE *h*) aliisque *Menelaus*, a NEPOTE CORNELIO (in Vita Agesilai) *portus Menelai* appellatur. SCYLACI iter diei nauigio fusceptum abest a Petrante portus nostet; et secundum STRABONEM ad *Ardaniam* est, quae est supra *Paraetonium i*), inter pagum *Paliurum* et *Ardanaxen k*). Nomen portui inditum a Menelao, qui Aegyptum fugiens in Libyam abiit *l*).

Ante oram, a *Giligammis* habitatam plures sitae sunt *insulae*, quarum *duae* HERODOTO memorantur. Harum vero altera est.

Pla-

e) HERODOT. lib. IV. cap. 157. coll. cap. 169.
f) IDEM l. c. cap. 157.
g) Lib. IV. cap. 5. pag. 252.
h) Lib. I. pag. 40. C. lib. XVII. pag. 838. B.
i) STRABO lib. I. pag. 40. C.
k) ID. lib. XVII. pag. 838. B.
l) HERODOT. lib. II. cap. 119.

Digitized by Google

Platea, ἡ Πλάτεα *m*), quam haud immerito Marmaricis insulis SCYLAX (HVDSON. Geogr. Min. Vol. I. pag. 44.) annumerauit. Orae enim maritimae, a *Giligammis* frequentatae maxima pars ad Marmaricam pertinebat, mediae autem *Giligammarum* orae adsita erat insula *Platea n*). Eadem diserte *Libyca* insula HERODOTO dicitur *o*), eadem magnitudine qua Cyrene vrbs *p*). At, quaenam insula *Plateae* nomine HERODOTI aeuo fuerit insignita, vtrum ea, quam *Aedonin*, Ἀηδονίν, PTOLEMAEVS appellat, an vna e minoribus, inter hanc et Menelai portum sitis, iustis argumentis eviuci nequit. Coluere *Platean* Cyrenaei, (Theraei) qui mox, ea relicta in continentem Libyae transiisse, ibique Azirin condidisse perhibentur *q*). Conf. *Aziris*, pag. 121

Altera insula, cuius hoc loco iniicienda est mentio,

Aphrodisias, ἡ Ἀφροδισιάς, hoc est, *Veneris insula*, terminus erat occidentalis orae a *Giligammis*

m) Haec lectio WESSELINGIO arridet et nostro loco, et cap. 151. 156. SCYLACI (HVDSON. Geogr. gr. min. Vol. I. pag. 44.) insula haecce dicitur πλατεια; STEPHANVS πλατειαν et πλατειαν diuersas insulas esse iudicat, quod displicet Viris doctis.

n) Lib. IV. cap. 169.

o) l. c. cap. 151.

p) Lib. laud. cap. 156.

q) HERODOT. lib. c. cap. 169. coll. 151. 156.

Digitized by Google

mis frequentatae *r*). Insula haecce, quae et *Laea*, Λαια, vocatur, sita est inter Phycum promontorium et Apolloniam vrbem, eratque ὑφορμος, *nauium stationi apta*, teste SCYLACE. (HVDSON. Geogr. gr. min. Vol. I. pag. 44).

Restat, vt in orae maritimae, a *Giligammis* habitatae, descriptione regionem aliquam, antiquis scriptoribus satis celebratam, commemoremus, eam dico, quae a *Silphi* copia et ipsa *Silphium* adpellabatur *s*). (PTOLEMAEO lib. IV. 4. pag. 251. ἡ σιλφιοφορος χωρα dicitur,) et, HERODOTO testante, ab insulae Plateae obiecta terra od os vsque Syrtis pertinebat *t*). Intelligenda tamen est Syrtis maior, quae ad Cyrenaicam est; minor est ad Byzacenam *u*). Media etiam *Silphium* fert, a quo Medicus succus vocatur, qui, licet multo deterior perhibeatur, quam Cyrenaicus nonnumquam tamen huic ipsi praeferebatur *v*). Terram quoque *Garamantum Silphio* feracem tradit STRABO *w*). De laserpitio Cyrenaicae (hoc enim nomine

r) Vid. HERODOT. l. c. cap. 169.

s) De *Silphio* praeter PLINIVM Histor. Natur. lib. XIX. cap. 3. legendus est SALMASIVS in Solin. pag. 262. et ISAACVS VOSSIVS ad POMPONII MELAE lib. I. cap. 8. pag. 38. seqq. D'HERBELOT. Biblioth. Orient. pag. 116. voce *Angia* et pag. 493. voce *Ingiu*, nec non Abbas BELLEY, laudatus LARCHERIO Tom. III. not. 256. pag. 473.

t) Videat. HERODOT. lib. IV. cap. 169.

u) POMPON. MELA lib. I. cap. 7.

v) STRABO lib. IX. pag. 525. B. coll. lib. II. pag. 131. A. et pag. 133. C.

w) Lib. XVII. pag. 839. A.

Digitized by Google

mine *Silphium* a ſcriptoribus Romanis inſignitur) dignus eſt, qui tranſcribatur PLINII locus, qui *Hiſtor. Nat.* lib. XIX. cap. 3. exſtat. Ita autem habent PLINII verba: *Multis iam annis in ea terra* (Cyrenaica) *non inuenitur* (laſerpitium): *quoniam publicani, qui paſcua conducunt, maius ita lucrum ſentientes depopulantur pecorum pabulo. Vnus omnino caulis noſtra repertus memoria, Neroni principi miſſus eſt.*

§. XXXVI.

Cyrenaica

Regionis et incolarum nomina; Fines.

Attigimus iam *Cyrenaicam*. *Orae* enim *Cyrenaicae* partem *Giligammas* incoluiſſe, paragrapho ſuperiori monuimus. Quare, vt geographicus ordo conſtet, priusquam ad eas gentes, quas poſt *Giligammas* HERODOTVS exponit, et quas *Cyrenaicum* habitaſſe ſcimus, accedimus recenſendas, ea praemittenda eſſe iudicamus, quae de hac Africae prouincia HERODOTO duce in vniuerſum monenda veniunt. Quo facto, iſtas gentes iuſto ordine deinceps exponemus, denique *Cyrenaicae* vrbium, paſſim HERODOTO commemoratrum, ſubiiciemus deſcriptionem.

Vſitatiſſimum huius prouinciae nomen, quo ea et ab HERODOTO appellatur, eſt *Cyrenaica*, ἡ Κυρηναίη

ρηναιη χωρη α'). Alias etiam *Cyrenae* et *Cyrene b*) dicitur. Quorum nominum prius in HERODOTO omnino non occurrit, posterius vero, licet quibusdam in locis legatur, uullo tamen loco omnem drouinciam, sed vrbem eius primariam denotat. Incolae *Cyrenaei*, οἱ Κυρηναιοι, saepius HERODOTO memorati, v. c. lib. IV. cap. 159. 160. sqq. quoniam tractum Libyae maritimum potissimum frequentabant, *maritimi* dicuntur lib. IV. cap. 170.

Terminos Cyrenaicae non eosdem faciunt Veteres. Cuius varietatis alia ratio reddi potest nulla, nisi quod alii *Cyrenaicam* ad Marmaricam reuocant, adeoque *Cyrenaicae* terminum versus orientem Catabathmum et Aegyptum constituunt, alii vero Cyrenaicam a Marmarica distinguunt, ita, vt Marmarica versus ortum contingat Aegyptum, Marmaricam autem Cyrenaica. *Cyrenaicae* initium ab occasu plerique, PTOLEMAEVM sequentes, a sinu Syrtis maioris siue ab Aris Philaenorum sumunt, alii a Boreo promontorio, vti PLINIVS, nonnulli ab Hesperidibus. quidam etiam a Phycunte promontorio *c*). De finibus huius prouinciae in omni

a) HERODOT. lib. IV. cap. 199.

b) Vid. ISAAC. VOSSIVS ad POMPONII MELAE lib. I. cap. 4. pag. 17. Cyrenaica vocatur et *Pentapolis* (seu Pentapolitana regio, PLIN. Hist. Nat. lib. V. cap. 5. princ.) a quinque vrbibus, quibus maxime inclaruit, quarum tamen nostra aetate vix aliqua vestigia deprehenduntur. Peutapoleas hodiernum nomen est *Ouagiat.*

c) Vid. CELLARII Not. Orb. Ant. P. III. lib. IV. cap. 2. pag. 99. cui loco addas POMPON. MEL. lib. I. cap. 8. princ. qui, Cyrenaicam a Philaenorum

omni opere *Herodoteo* ne uerbum quidem occurrit. — *Cyrenaica* olim incolarum multitudine celeberrima noſtra aetate parum frequens eſt, ſiquidem piratae in ora maritima praedantur eamque populantur, Arabes autem agris mediterraneis vaſtitatem iuducunt. Qui vero hodieque *Cyrenaicam* incolunt animoſi ſunt et diuites inprimis venditione Europaeorum, qui in eorum manus incidunt; eos autem vendunt Aethiopibus *d*).

§. XXXVII.

Cyrenaicae regionis natura.

Cyrenaica regio Libyae nomadicae ditiſſima eſt teſte HERODOTO lib. IV. cap. 199. Triplex in ea meſſis et vindemia. De vtraque fuſius exponit Auctor noſter l. c. *Cyrenaicae* vbertatem attigit etiam DIODORVS SICVLVS, lib. III. pag. 183. (p. 128. C.) regionem, *Cyrenae* vrbi finitimam, gleboſam eſſe, frugibus, vitibus, oleis, arboribus, herbis, fluuiis abundare affirmans.

§. XXXVIII.

Cyrenaeorum diuiſio.

Iam vero *Cyrenaeorum* diuiſio commemoranda eſt, cuius HERODOTVS lib. IV. cap. 161. coll. 160.

norum aris incipit, et ad Cababathmum vsque extendit. Quod poſterius admitti nequit. Deſiit Cyrenaica ad Drepanum promontorium. Leg. et IS. VOSSIVS ad MELAE lib. I. cap. 8. pag. 31. 32.

d) Vid. *de la* CROIX Tom. II. pag. 252.

160. iniecit mentionem. Scilicet omnis *Cyrenaeorum* multitudo, magna clade a Libybus accepta, a Demonacte, e Mantinea, Arcadiae vrbe, arcessito, in tres diuisa est tribus, quarum primae annumerabantur Theraei, et qui illis finitimi erant, alteri Peloponnesii et Cretenses, tertiae Insulani. Omnes hos in Libya advenas eosque Graecos attigemus etiam infra §. LXXVI.

§. XXXIX.

Fontes Cyrenaicae.

Inter Azirim regionem et Cyrenen vrbem, haud longe ab Irasa, καλλιστῳ των χωρων Cyrenaicae, (§. XLV.) memoratur HERODOTO

Thestis fons, ἡ Θεστη, prope quem *Cyrenaei* duce Batto tertio, cognomine *Felice*, Aegyptios proelio superasse perhibentur. HERODOT. lib. IV. cap. 159.

Prope hunc fontem fuit

Iouis Lycaei collis, Διος Λυκαιου ὀχθος, cuius memoriam HERODOTO lib. IV. cap. 203. debemus.

Ad *Cyrenaicam* reuocandus quoque est, qui HERODOTO lib. IV. cap. 158. memoratur,

Apollinis fons, ἡ κρηνη Ἀπολλωνος, quem Theraei, relicta Aziri, accolebant. Fontis nomen Κορην,

Κυρηνη. *Cyren*, fuiſſe conſtat *a*) vbi vero ſitus fuerit non omnino liquet. Verum, vt in *Cyrenaica* eum fuiſſe dubium non eſt, ita quoque ex laudato HERODOTI loco haud obſcure intelligitur, eum *Cyrenae* vrbi fuiſſe vicinum *b*).

§. XL.

Gentes Cyrenaicae Herodoto memoratae.

γ. *Asbyſtae.*

Eorum ſitus et fines.

Redeamus nunc ad recenſendas gentes, quae HERODOTO maritimam Libyae oram incolere dicuntur. Subſtitimus autem in iis, quae *Cyrenaicam* poſt *Giligammas* tenuerunt. Prima harum ſunt

Asbyſtae, οἱ Ἀσβυσται *a*), qui tractum inter Giligammas et Auſchiſas frequentare perhibentur *b*).

Asby-

a) Vid. CALLIMACHI Hymn. in Apollin. verſ. 83. Confer. STEPHANVS BYZANTIN. voce Κυρηνα.

b) Videat, IVSTINVS lib. XIII. cap. 7.

a) Ἀσβυσται gemina ſcriptura videtur, quam etiam PLINIVS Hiſtor. Natur. lib. V. cap. 5. ſequutus eſt. Nec aliter DIONYS PERIEG 211. Quidam eos *Abytarum* nomine inſigniunt, v. c. PTOLEMAEVS lib. IV. 4. pag. 250. (ſed corrigendum videtur Ἀσβυσται.) Vid CELLARII Not. Orb. Ant. l. c. cap. 2. pag. 114. et cap. 3. pag. 127 Neque officit hilum, verba ſunt WESSELINGII ad HERODOT. l. c quod Asbyſtarum ſedes latius in Africa mediterranea porrigatur ab aliis, ſiquidem in talibus multiplex variatio et Asbyſtae minime maritimi.

b) HERODOT. lib. IV. cap. 170. coll. 171.

Asbyſtas maritimos eſſe diſerte negat HERODOTVS, ſubiiciens, eos ſupra Cyrenen incolere, Cyrenaeos vero maritimam oram tenere *c*).

§. XLI.

δ. *Auſchiſae.*

Eorum ſitus et fines.

Relictis *Asbyſtis* in recenſendis Libyae gentibus, mare accolentibus, pergit HERODOTVS ad *Auſchiſas*, graece οἱ Αὐσχισαι *a*) dicuntur, quos *Asbyſtas* ab oriente contingere, ſupra *Barcen* incolere et propter mare vsque ad *Eueſperidas* (hoc eſt, vsque ad Berenicen vrbem, §. XLV.) porrigi pronunciat lib. IV. cap. 171. *Auſchiſas* autem verſus occidentem et a plaga auſtrina vicinos habere *Naſamones* diſcimus ex eiusdem libri capite 172.

§. XLII.

ε. *Cabalum ſitus atque fines.*

In media fere terra ab Auſchiſis frequentata habitare dicuntur

Caba-

c) cap. 170. De *Asbyſtis* multa congeſſit SALMASIVS ad SOLIN. 381. et EVSTATHIVS ad DIONYS. PERIEG. 211. Vid. et LARCHERIVS Tom. VII. pag. 43.

a) Minus probanda videtur, quae in APPOLLODORI loco, apud. STEPHANVM BYZ. obvio, exſtat lectio: Αὐχιται. *Herodotea* DIODORI et PTOLEMAEI teſtimoniis confirmatur.

Digitized by Google

Cabales, οἱ Καβαλεῖς *a*), exigua gens, mare accolens, eaque ad Tauchira, Barcaeorum vrbem pertingens *b*). Plura de hac gente in HERODOTO non occurrunt.

§. XLIII.

c. *Nasamones.*

Eorum Situs; Fines incerti.

Cyrenaicae gentibus, quas hactenus expoſuimus, ſubiiciemus adhuc *Naſamones* et *Iſyllos*, quos aliquam ſaltem huius prouinciae partem, maxime mediterraneam, incoluiſſe certum eſt.

Auſchiſis ab occaſu et a ſeptentrione, *Asbyſtis* vero ab oriente finitimi *Naſamones*, οἱ Νασαμωνες, perhibentur *a*). Accolebant Syrtim (maiorem) et partem orae maritimae, quae ab hac Syrti uerſus orientem porrigitur b). Praeterea longius in mediterranea Libyae porrectos fuiſſe certo conſtat, ſiquidem *Naſamones* et *Angilas*, tractum Libyae tumuloſum et ſabuloſum frequentantes, (§. LV.) vnam eſſe eamdemque gentem non eſt, quod vlli dubitemus Scilicet locum *Augila* cum finitima terra ad regionem a *Naſamonibus* habitatam, eſſe reuocandam, ex HERODOTI

a) Quibusdam haecce gens Βακαλες dicitur. Incertus haeret ipſe WESSELINGIVS, quamnam lectionem praeferat.

b) HERODOT. lib. IV. cap. 171.

a) HERODOT. Lib. IV. cap. 172.

b) IDEM. lib. II. cap. 32.

lib. IV. cap. 172. haud temere colligitur. *Nasamones* enim memorat Auctor noster l. c aestivo tempore, relictis ad mare pecoribus, adscendere ad locum *Augila*, palmularum, quibus ea regio hodieque abundat, colligendarum gratia. Vid. et HERODOTVS lib. IV. cap. 183. Idem coniecit iam clarissimus PENZELIVS ad STRABONEM pag. 2343 quam coniecturam tuetur PTOLEMAEVS (lib. IV. cap. 5. pag. 258.) his verbis: ἐν τοις Αὐγιλαις, και ἐν τοις Νασαμωσι τα Αὐγιλα. Verum nulla opus est coniectura. Quod ea se adsequutos esse quidam crediderunt, tantum non disertis verbis in HERODOTO legitur res ipsa expedita est. Iniuria igitur MELAM reprehenderuut viri quidam eruditi, quod *Augilas* cum *Nasamonibus* confunderet *c*).

Extinctis *Psyllis*, quibus vicini erant *Nasamones*, hi ipsi illorum terram occupaverunt *d*). Ad ipsis autem *Nasamonibus* prope internecione sublata est *Psyllorum* gens, referente PLINIO *e*). Cui narrationi probabilitatem addunt. SILIVS ITALICVS *f*), et LVCANVS *g*). Vtraque enim gens Syrticarum regionum praedatores perhibentur ab his poetis longe famosissimi.

De

c) Qui MELAM hac in re erroris reum fecerunt, probe refutantur ad ISAACO VOSSIO ad POMPONIUM MELAE lib. I. cap. 8. pag. 45. 46.

d) HERODOT. lib. IV. cap. 173.

e) Histor. Natur. lib. VII. cap. 2.

f) Lib. I. 408.

g) Lib. IX. 439-445.

Digitized by Google

De ſitu *Pſyllorum* et *Naſamonum* quaedam ſuperſunt ſtrictim hic attingenda. STRABO *h*) eos a *Cyrenaica* in occidentem reducere et ſub regione *Syrtium* ponere videtur; vtramque tamen gentem non extra *Cyrenaicae* fines, ſed intra eos fuiſſe, PTOLEMAEVS Auctor eſt. Vtrumque non a vero recedit; etiam in *Marmarica* fuerunt ſaltim *Naſamones*, quos diuerſos non eſſe ab Augilis in *Marmarica*, ſiue, vt cum HERODOTO loquamur, in tracto Libyae tumuloſo et ſabuloſo quaerendis, ſupra euicimus . — Quae de *Naſamonum* ſede expoſita colligenti, HERODOTVM idonea ratione niſum ἔθνος πολλον, *numeroſam nationem*, eos lib. IV. cap. 172, apdellaſſe, apparebit.

Mores *Naſamonum* exponit Auctor noſter l. c. Commemoratione in primis digna eſt dandae accipiendaeque fidei conſuetudo apud hanc gentem, quam noſtra adhuc aetate in pacto coniugali ſanciendo inter Algerianos obtinere narratum accepimus *i*).

§. XLIV.

Pſylli, gens extincta.

Pſylli οἱ ψυλλοι, qui ab oriente *Naſamonibus* vicini erant, ab auſtro *Garamantibus ſeptentrionalibus*, (§. XLVI.) maiorem Syrtin accoluiſſe perhibentur, (unde eam Pſyllici ſinus nomine inſigniuit HECATAEVS, teſte STEPHANO B.) quam-

 quam

h) Lib. II. pag. 131. B. et lib. XVII. pag. 838. C.

i) Vid. SHAW Voyages Tom. I. pag. 393.

Digitized by Google

quam eos et in meridiana *Cyrenaicae* plaga ſedes habuiſſe dubio caret; ipſa autem, quam inhabitabant, terra aquae inops adeoque infelix eſſe narratur *a*). Verum de omni hac gente parum nobis conſtat, quippe quae iam HERODOTI aetate extincta erat *b*). Fabulam de infelici *Pſyllorum* contra auſtrum expeditione, narratam ab HERODOTO lib. IV. cap. 173. tranſſcribere animus non eſt *c*). Vix dubitamus, quin eam in vulgus ſparſerint *Naſamones*, a quibus *Pſyllorum* gens prope internecione ſublata dicitur PLINIO Hiſtor. Nat. lib. VIII. cap. I. *Pſyllorum* tamen nonnulli ſeros in annos durarunt *d*). (Conf. §. XLIII.) Sed audiamus ipſum PLINIVM, cuius verba ita habent: *Haec gens* (ſcil. Pſyllorum) *ipſa quidem prope internecione ſublata eſt a Naſamonibus, qui nunc eas tenent ſedes: genus tamen hominum ex iis, qui profugerant, aut cum pugnatum eſt, abfuerant, hodieque remanent in paucis.*

§. XLV.

Cyrenaicae tractus amoenus, Iraſa, et vrbes.

Supereſt, vt in *Cyrenaicae* deſcriptione de amoeno quodam huius prouinciae tractu, tum vero de

a) HRODOT. lib. IV. cap. 173.

b) Vid. HERODOT. l. c.

c) Hanc fabulam ex HERODOTO narrat *Aulus Gellius* Noct. Att. XVI. 11.

d) Conf. HARDVINVS ad PLINII l. c. et LARCHERII Hiſtoire d'HERODOTE Tom. VII. pag. 312.

Digitized by Google

de eiusdem vrbibus, nulli earum, quas hactenus expoſuimus, *Cyrenaicae* gentium ab HERODOTO diſertis adſcriptis, pauca adiiciamus. Regio illa

Iraſa, τα Ἰρασα, HERODOTO dicta, Libyae καλλιστος των χωρων ab eodem vocatur. Cuius regionis, quam Battus, et qui eius poteſtati ſuberant, relicta *Aziri*, incoluere, ſitus ſatis accurate ex HERODOTI libr. IV. cap. 158. 159. conſtitui poſſe videtur. Ex iis enim, quae tradit HERODOTVS l. c. eam inter *Azirin* et *Cyrenen*, adeoque *Cyrenae* ab ortu, *Aziri* ab occidente ſitam fuiſſe facile cognoſcitur. Propior tamen, quantum quidem ex Auctore noſtro colligere licet, *Aziri* erat, quam *Cyrenae*, et non niſi paucarum horarum iter ab illa diſſita. Vt enim prohiberent Libyes, quo minus Batto eiusque ſociis καλλιστος των χωρων innoteſceret, *Aziri* ſub veſperam relicta, Iraſa noctu permearunt mox vero *Apollinis fontem*, prope quem conſidebant Graeci, attigerunt. Hanc de mutata in Libya Batti eiusque ſociorum ſede narrationem delibauit etiam CALLIMACHVS Hymn. in Apoll. 88. 89.

Vrbes. Ad mare ſunt *Tauchira*, *Heſperis*, in mediterraneis *Barce*, *Leucon* et *Cyrene*, in quibus deſcribendis nunc deinceps vorſaturi ſumus.

Tauchira, τα Ταυχειρα in Barcaeorum agro ſita *a*), STRABONE, PTOLEMAEO et PLINIO ἡ Τευχειρα, *Teuchira* appellatur. Poſtea *Arſinoe*

a) HERODOT. lib. IV. cap. 171.

appellari coepit *b*), tum vero a M. Antonino in Cleopatrae suae fauorem *Cleopatris* vocata est. Nostra aetate diuerso modo nuncupatur oppidum nostrum, *Teukera c*), *Trocare d*), *Trochara e*), *Tochara f*), *Trochata g*).

In promontorio, quod a STRABONE *h*) PSEVDOPENIAS appellatur, e regione promontorii Peloponnesiaci, cui *Ichthys* nomen sito, prope Tritonidem quamdam paludem, diuersam ab ea, de qua infra exponendum nobis erit: et ad Ladonis seu Lathonis fluuii ostium sita erat vrbs, antiquiori aeuo

Hesperis, ἡ Ἑσπερις et *Hesperides*, αἱ Ἑσπεριδες, dicta, cuius ciues

Eueſperides, οἱ Εὐεσπεριδες *i*) et *Eueſperitae*, οἱ Εὐεσπεριται *k*) HERODOTO memorati. Ipsa vrbs

b) Vid. STRABO lib. XVII. pag. 836. D. PTOLEMAEVS. lib. IV. 4. pag. 249. PLINIVS Histor. Net. lib. V. cap. 5.

c) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 44.

d) MARMOL. Tom. II. pag. 574. *de la* CROIX Vom. II. p. 250. 251.

e) HARDVIN. ad PLINII Hist. Nat. lib. V. cap. 5.

f) SIMLERVS apud WESSELING. in Observ. ad ANTONINI *Itin.* pag. 67.

g) DAPPER. pag. 298.

h) lib. XVII. pag. 836. C.

i) HERODOT. lib. IV. cap. 171.

k) ID. l. c. cap. 198.

Digitized by Google

vrbs poſten ſortita eſt nomen *Berenice l)*. Vicina etiam dicitur *famoſis Heſperidum hortis m)*, quo nomine ager *Heſperidum* propter fertilitatem et fructuum vbertatem inſignitus a Cyrenaeis videtur. Nam *Eueſperidum terram* bonam eſſe, adeoque praeter *Cinypem*, Libyae regionem, totius Libyae optimam, certe conſtat. (Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 198.) Inde vero vagantibus Graeciae fabulis, cum quidam alibi *Heſperidum domum* collocarent, hi quidem in Magneſia, illi ad Herculis fretum, alii ad Atlantem, nonnulli in Oceano, factum eſſe videtur, vt ſitae ad Syrtes *Heſperides* Ἑυεσπερίδες appellarentur, tamquam *verae Heſperides*, quamquam omnes aeque fabuloſae ſint, id teſtantibus APOLLODORO apud STRABONEM, aliisque.

Berenices rudera hodique ſuperſunt, at non ab omnibus eodem nomine vocantur. Aliis enim dicuntur *Bernic n)* ſeu Bengaſi *o)*, aliis *Berbic p)*, quibusdam *Beric q)*.

Vrbes mediterraneae:

Barce, ἡ Βαρκη, Cyrenae ab occaſu ſolis, Tauchiris ab oriente ſita, eaque 40. milliar. a

l) PTOLEM. lib. IV. 4. p. 249.

m) Vid. STRABO et PLINIVS locis laudatis.

n) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 45. *de la* CROIX. Tom. II. pag. 250.

o) Vid. D'ANVILLE l. c.

p) *de la* CROIX l. c.

q) MARMOL. Tom. II. pag. 574. DAPPER. pag. 298.

Phyco promontorio remota *r*), a fratribus Arceſilai II, qui Batti filius fuit *s*), condita, nomen vero ſortita eſt a Barce regina, ſi fides habenda SERVIO ad VIRGILII *Aeneid.* IV. 43. ſupra *Barcen* incoluiſſe *Auſchiſas* iam ſupra vidimus *t*). (§. XLI.) Portum habuit vrbs noſtra ad Syrticum mare eo loco, quo inſequuta aetate *Ptolemais* condita fuit. Sunt quidem haud pauci inter veteres, qui *Ptolemaidem* antiquitus *Barcen* appellatam fuiſſe contendant, STRABO *u*), PLINIVS *v*), SERVIVS *w*) aliique. Verum diuerſas fuiſſe vrbes PTOLEMAEVS *x*) nos docet, praeciſe affirmans, in mediterraneis Cyrenaicae eſſe *Barcen*, ad mare *Ptolemaidem*. Et SCYLAX *y*) diſerte tradit, portum *Cyrenes* a *Barces* portu 500 ſtadiis, *Barcaeorum* vero *vrbem* a mari 100 ſtadiis abeſſe. *Ptolemais* condita eſt eo loco, quo fuit *Barces portus*, non eo, quo ipſa *Barce vrbs* fuit. *Barce* hodie *Tolometa* vocari perhibetur *z*).

Cete-

r) PLINIVS Hiſt. Nat. lib. V. cap. 5.

s) HERODOT. lib. IV. cap. 160. Conf. STEPHANVS BYZ. voce Βαρκη Arceſilai fratrum nomina exhibens.

t) HERODOT. l. c. cap. 172.

u) lib. XVII. pag. 837. A.

v) l. c.

w) ad VIRGILII Aeneid. IV. 43.

x) lib. IV. 5. pag. 251. coll. pag. 249.

y) HVDSON. Geogr. Gr. Min. Vol. I. pag. 45.

z) Vid. WESSELING. ad Itinerarium Antonini pag. 67. et D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 44.

Digitized by Google

Ceterum licet *Barcaei Libyes* essent, adeoque *Cyrenaei*. mirum tamen non est, eos et a *Libybus* et a *Cyrenaeis* distingui ab HERODOTO lib. III. cap. 91. *Libyum* enim nomine dicto loco intelligendi sunt aut quotquot Marmaricam tenebant, aut saltem ii, qui Libycum nomum, quem dicunt, inhabitabant. *Cyrenaeorum* utem et *Barcaeorum* nominibus ciues vrbium *Cyrenes* et *Barces* dicto loco veniunt.

Haud longe a *Barca* versus orientem erat

Leucon, ὁ Λευκων, regio exigua vel oppidum *a*), HERODOTO lib IV. cap. 160. memoratus, cui proelium, quo Cyrenaeos, duce Arcesilao huius fratres et Libyes superarunt, aliquam nominis famam conciliauit. Proelii eius meminit HERODOTVS l. c.

Caput Cyrenaicae erat

Cyrene, ἡ Κυρηνη *b*), cuius HERODOTVS lib. IV. cap. 156. 164. 170. multisque aliis in locis mentionem iniecit. Dissita erat a mari 11000 passuum, teste PLINIO *c*), penes quem auctoritas sit. De origine huius vrbis multa congessit HERODOTVS lib. IV. cap. 155. sed fabulose; item IVSTI-

a) *Leucon* exigua regio dicitur LARCHERIO Tom. VII. pag. 280 oppidum WESSELINGIO. in *indice Herodoteo.*

b) De *Cyrene* dissertationem scripsit HARDION Memoires de l'Academie des Inscriptions Tom. IV. Add. BOVHIER cap. XII. p. 134 - 150.

c) lib. V. cap. 5.

IVSTINVS lib. XIII. cap. 7. Paucis verbis complectitur STRABO *d*), quaecunque de *Cyrenes* origine tuto ſatis affirmari poſſunt: Ἐστι, inquit, (ſcil. Κυρηνη) Θηραιων κτισμα, Λακωνικης νησου. Conditorem idem memorat *Battum Theraeum* III. de quo multa HERODOTVS lib. IV. cap. 150. ſeqq. Ab hoc Batto Cyrenaei CALLIMACHO *e*) Βαττιαδαι, et SILIO ITALICO *f*) *Battiadae* dicuntur. Nuncupata *Cyrene*, ſi SERVIO *g*) credimus, a regina cognomine. Quae vtrum eadem ſit cum *Cyrena*, DIODORO *h*) memorata, an diuerſa ab hac, non liquet. Ipſa vrbs noſtra aetate non exſtat amplius *i*); nonnulla tamen eius rudera hodieque cernuntur, quae diuerſa ratione, nunc *Keroan k*), nunc *Curin l*), nunc *Guirina* cet. vocatur.

§. XLVI.

η. *Garamantes ſeptentrionales.*

Pergimus iam ad ſubiiciendas et deſcribendas reliquas gentes, quae *oram Libyae Septentrionalem* a *Cyrenaica* inde vsque ad *Tritonem fluuium* et

d) Lib. XVII. pag. 337. A.
e) Hymn. in Apoll. verſ. 96.
f) Lib II. 61.
g) ad VIRGILII Aeneid. IV. 43.
h) Lib. IV. pag 280. (p. 195. B. C.)
i) MARMOI. Tom. I. pag. 11. Tom. III. pag. 44.
k) *de* BROSSES ad SALLVSTIVM I. pag. 48.
l) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 44.

Digitized by Google

et *Tritonidem paludem* incolere HERODOTO dicuntur. Primo autem loco commemorandi sunt.

Garamantes, οἱ Γαραμαντες, Nasamonibus ad austrum ἐν τῃ Θηριωδει, *in regione feris abundante*, habitantes, gens exigua, quae hominum consuetudinem omnino fugere et bellica armatura omni destituta perhibetur *a*). Idem refert Mela I. 8. cui gens nostra *Gamphasantes* audit.

Ad hos *Garamantes* quod attinet, quos caue confundas cum *australibus*, (§. LVI.) iam supra (Vid. Delineatio Opusculi pag. 7. 8. not. a.) commemorauimus, et mirum primo intuitu videri, quod inter maritimas Libya gentes *Garamantes* referat HERODOTVS, et quibus ex causis mirum hoc videri possit debeatque. Ibidem vero iam monuimus, rationem reddi posse satis idoneam, qua inducti se passus sit HERODOTVS, vt *Garamantes* inter Libyae gentes, mare accolentes, referret. Haec quaenam sit, tribus verbis exponendum nunc est. Scilicet cum maritimi Libyes ab Aegypto vsque ad Tritonidem paludem habitantes, Nomades essent, (Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 181. princ. et cap. 185.) reliquos Libyes, vti nobis quidem videtur, haud dubie simul exponit HERODOTOTVS. qui haud minus, ac illi, nomadicam vitam agebant, quamquam remotiores a mari, *Asbystas*, (lib. IV. cap. 170.) *Gindanes*, (cap. 176.) adeoque *Garamantes*. (cap. 174.)

§. XLVII.

a) HERODOT. lib. IV, cap. 174.

Digitized by Google

§. XLVII.

3. *Macae a*).

Fines; *Mons*; *Cinyps fluuius et regio.*

Maritima loca, Naſamonibus ab ortu ſolis contermina, tenebant *Macae*, οἱ Μακαι, referente HERODOTO lib. IV. cap. 175.

In hac regione erant

Gratiarum Collis, ὁ χαριτων λοφος, e quo oriuntur fontes Cinypis, in ipſa regione ſyrtica ſitus, a ma-

a) Ex maritimis Libyae gentibus, quarum meminit HERODOTVS, *Syrticam regionem* habitabant *Naſamones*, quos expoſuimus §. XLIII. *Macae, Gindanes, Lotophagi, Machlyes* et *Auſenſes*, iam ordine exponendi. Quae *Syrtica regio* a quibusdam vocari ſolet, ea vulgo ad Africam propriam reuocatur. *Syrticae regionis* diſſertis verbis mentionem HERODOTVS iniecit nullam. Maioris autem Syrtis lib. II. cap. 32. 150. et lib. IV. cap 169. mentio exſtat. Hanc enim intelligendam eſſe, non minorem, facile intelligitur. *Maior Syrtis* nunc *Golfo de Sidra* nominatur. D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III pag. 69.

„*Syrtibus* nomen ex re inditum. Nam duo ſunt Sinus prope in extrema Africa (ſecundum veterem Geographiam) impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praeata ſunt, cetera, vti fors tulit, alta: alia in tempeſtate vadoſa. Nam vbi mare magnum eſſe, et ſaevire ventis coepit, limum, arenamque, et ſaxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur *Syrtes* ab tractu nominatae. „ (nimirum a συρω, traho.) SALLVST, *Bello Iugurth.* pag. 125.

a mari 200 ſtadiis remotus, nemoribus frequens perhibetur, licet omnis ea Libyae pars, cuius deſcriptionem dedit HERODOTVS lib. IV. cap. 168 - 174. nuda ſit arboribus. HERODOT. lib. IV. cap. 175.

Per *Macas* 200 ſtadiorum curſu fluit

Cinyps b), ὁ Κινυψ, e *Gratiarum colle* oriundus, HERODOT. l. c. qui STRABONI *c*) et PTOLEMAEO *d*) Κινυφος dicitur, PLINIO *e*) autem *Cinyps*. Quae de *Cinyphi* fontibus PTOLEMAEVS tradit, ad eiusdem nominis fluuium, e Girgiri monte oriundum, referenda ſunt. Hodie *Wadi - Quaham* appellatur *Cinyps* noſter *f*).

Regionem, quae *Cinype* fluuio irrigatur et ipſam

Cinypem, Κινυπα, eamque vdam fontibus, ſecuram ſiccitatis e vehementi aeſtu oriundae, quoniam in hoc Libyae tractu pluat, (lib. IV. IV. cap. 198.) adeoque οἰκησεχωρον καλλιϛον των Κιβυων HERODOTVS lib. V. cap. 42. appellat. Libyae omnem terram licet minus bonam et felicem, quam et Europae, declaret HERODOTVS, affirmat tamen

b) Hinc *Cinyphii Macae* apud SILIVM ITALICVM III. 275.

c) Lib. XVII. pag. 835. B.

d) Lib. IV. 6. pag. 270.

e) Hiſtor. Natur. lib. V. cap. 4.

f) D'ANVILLE Geogr. Anc. Abr. Tom. III. pag. 91. Memoires de l'Academie des Inſcriptions Tom. XXVI. pag. 78.

Digitized by Google

men tantum abeſſe vt *Cinyps regio* aeque infecunda ſit, ac omnis reliqua Libya, vt potius, ſi maiorem in modum largus ſit terrae prouentus, ter centuplicem prouentum reddat ſementis. HERODOT lib. IV. cap. 198.

In hanc Libyae regionem *Dorieus*, *Anaxandridae*, Lacedaemoniorum regis, filius, ob regnum, patre defuncto, non impetratum, iratus colonos deduxit. Inde autem tertio eiectus anno a *Macis*, *Libybus g)*, et *Carthaginienſibus*, in Peloponneſum rediit *h)*

XLVIII.

i. Gindanes.

Ab occidente *Macis* contermini ſunt.

Gindanes, οἱ Γινδανες, Libyae tractum, qui eſt ſupra oram maritimam, a *Lotophagis* frequentatam, (§. XLIX.) incolentes *a)*. Vnde apparet *Gindanes* non ipſos ſuiſſe maritimos *b)*. Promiſcuos concubitus probabant, de qua re plura ex ipſo

g) ὑπο Λιβυων. VALKENARIVS ὑπο Μαχλυων legendum eſſe iudicat. Vid. eius obſeruat. ad HERODOT. lib. V. cap. 42.

h) HERODOT. lib. V. cap. 42.

a) HERODOT. lib. IV. cap. 176. coll. cap. 177. princip.

b) Vid. Delineatio Opuſculi noſtri pag. 7. 7. not. a.) et §. XLVI.

c) voce Γινδανες.

ipso HERODOTO lib. IV. cap. 176. discenda. Loto victitabant *Gindanes* aeque ac illa gens, quae ab isto cibo nomen sortita est, STEPHANO teste

§. XLIX.

IX. *Lotophagi.*

Lotophagi, οἱ Λωτοφάγοι *a*), inhabitare perhibentur oram maritimam, quae est ante regionem a *Gindanibus* frequentatam; pertinebant vero versus occidentem vsque ad *Machlyes b*). Dicti sunt *Lotophagi* a loto, qua vescebantur *c*). Cuius fructus descriptionem aliquam dat HERODOTVS l. c. in quo et vinum ex hoc fructu conficere *Lotophagi*

a) Confudisse quosdam *Lotophagos* cum Machlybus patet e PLINII loco, qui *Hist. Nat. lib. V. cap.* 4. *exstat. In intimosinu*, inquit PLINIVS, *fuit ora. Lotophagon, quos quidam Machryas* (h. e Machlyes; nam varie scribitur hoc nomen ab antiquis auctoribus) *dixere, ad Philaenorum aras.* Cuius confusionis ratio inde petenda. est quod *Machlyes* finitimi erant Lotophagis. Adde, quod *Machlyes* etiam loto vesci dicuntur. HERODOT. lib. IV. cap. 178. Qui vero apud PLINIVM l. c. pro *Machryas* legunt *Alochoas*, hosque de glauci coloris hominibus interpretantur, vehementer, profecto errant.

b) HERODOT. lib. IV. cap. 177. 178.

c) HERODOT. lib. IV. cap. 177.

d) Conf. HOMER. Od. I. 94. seqq. EVSTATH. pag. 1616. et 1644. edit. Rom. PLINII Hist. Nat. lib. XIII. cap. 7. Add. LARCHERIVS Tom. III. p. 476. 477.

phagi dicuntur *e*). Lotus arbor, (cuius delineationem aeri inciſam dat SHAW, n. 270. et *de la* CROIX Tom. I. pag. 81.) eadem eſt, quae nunc *Seedra* Arabibus dicitur, et cuius magna copia eſt in Barbaria et in deſerto Barbariae *f*).

§. L.

β Machlyes.

Eorum ſitus et fines; Fluuius; lacus; Inſula.

Machlyes, οἱ Μαχλυες *a*), maritimam oram a *Lotophagis*, h. e. Fere a termino occidentali Syrtis minoris, vsque ad Tritoridem paludem habitabant. Hi quoque loto veſci dicuntur, verum parcius, quam Lotophagi *b*). Erant et in Scythia *Machlyes*, quos caue cum noſtris confundas *c*). Pertinebant noſtri vsque ad flumen, quod dicitur,

Triton, ὁ Τριτων, teſte HERODOTO, cui ποταμος μεγας, et in *Tritonidem lacum* exire dicitur *d*). *Trito-*

e) Vtrum eadem ex loto cibum et vinum confecerint Lotophagi, operoſe diſputant VOSSIVS ad SCYL. pag. 114, Edit. GRONOV. et BOD. A STAPEL in THEOPHRASTI Hiſt. Plant. lib. IV. cap. 4. p. 327.

f) Vid. SHAW Voyages Tom. I. pag. 292. 293.

a) Varie ſcribitur huius gentis nomen. Vid. WESSELINGIVS ad HERODOT. lib. IV. cap. 178.

b) HERODOT. lib. IV. cap. 178. 180.

c) Conf. LARCHERIVS Tom. III. p. 216.

d) Lib. IV. cap. 178.

Digitized by Google

Tritonem fluuium non diuersum esse ab eo, qui nostra aetate *Gabs* dicitur, eiusque fontes a Gabs, loco maritimo, non nisi trium, quatuorue miliarium itinere abesse putat SHAW *e*). Hinc apparet, *Tritonem* esse *fluuium exiguum*, nec in *Tritonidem paludem* influere, id quod prorsus recedit ab iis, quae HERODOTVS de natura et cursu huius fluuii memoriae prodidit. Sententia autem a SHAWIO prolata, minime caret fundamento. Montes enim continuos a loco, qui *El Hamma* dicitur, (situs est hic locus infra *Tritonidem lacum*, nec confundi debet cum eiusdem nominis loco maritimo, qui haud longe a *Gabs* distat) vsque ad locum *Maggs*, et hinc ad oram maritimam, vsque ad terram, insulae *Serbae* (Lotophagitidi) obuersam porrigi dicit; hosque satis probare affirmat, errasse et veteres et recentiores Geographos ad vnum omnes, qui cursum iusto maiorem huic fluuio tribuerunt, eumque multos lacus efficere affirmarunt. Addit, hoc ipso nisus argumento, nec locum ideo habere posse PTOLEMAEI sententiam, qui *Tritonem* e monte *Vasaleto* oriundum pronunciat, si modo mons *Vasaletus* ipsi dictus, idem est cum hodierno *Vselet*. Res fere expedita est, si statuas, HERODOTVM *Tritodinen lacum* cum *minori Syrti* confudisse, quae interdum *paludis* s. *maris Tritonidis* nomine venit *f*). Iam enim non nisi in epitheto haeremus, quod *Tritoni fluuio* tribuit HERODOTVS. Fides tamen habenda videtur SHAWIO, sollertissimo *αὐτοπτῃ*.

e) Voyages Tom. I. pag. 253.

f) DAPPER pag. 293. 294.

Tritonis lacus, ἡ Τριτωνὶς λιμνη, PTOLEMAEO perperam forte Τριτωνιτις dictus, ab HERODOTO *g*) λιμνη μεγαλη, quam influit Triton fluuius, appellatur. *Tritonidem* a flumine Tritone dictam esse primo intuitu vnicuique in oculos incurrit. Testatur idem PLINIVS *h*), cui aeque ac POMPONIO MELAE *i*) ab ingenti ambitu laudatur. Pertinet *Tritonis lacus* ab oriente in occidentem longitudine viginti milliarium, sex fere latitudine *k*). Superior eius pars, teste PTOLEMAEO, appellatur *Libya*, media *Pallas*, inferior *Tritonis*; nunc vero superior dicitur *el-Lowdeah*, inferior *Pharaoune*, referente SHAWIO, cui accuratam paludis nostrae descriptionem debemus *l*).

In *Tritonide lacu* Auctori nostro *m*) sita esse perhibetur

Phla ἡ Φλα insula. In eodem lacu insulam ponunt DIODORVS *n*), et STRABO *o*), qui et *Veneris templum* in ea esse narrat. Neuter quidem insulae

h) Hist. Nat. lib. V. cap. 4. Verba eius haec sunt: *non procul a Contineute palus vasta omnem Tritonem ab eo accepit, Pallantias Catlimacho dicta, et citra minorem Syrtin esse dicta: a multis vero inter duas Syrtes.*

i) Lib. I. cap. 7. *Super hunc* (sinum Syrtis minoris) inquit, *ingens palus amnem Tritona recipit, ipsa Tritonis.*

k) SHAW Voyages Tom. I. pag. 274.

l) Id. l. c. pag. 274. 275. 297.

m) Lib. IV. cap. 178.

n) Lib. III. pag. 202. (pag. 141. B.)

o) Lib. XVII. pag. 836. D.

Digitized by Google

ſulae nomen profiteri deprehenditur; dubium tamen non eſt, quin vterque inſulam *Phila* innuat, ſiquidem non niſi vna inſula in iſto lacu fuiſſe narratur. Vniuerſe autem de hac inſula teneamus, eiusdem nominis memoriam non niſi HERODOTO nos debere, et, qui ex hoc illud ſumſit, STEPHANO BYZANTINO, confundente inſulam noſtram cum *Phila* inſula, quae fuit in Aethiopia haud longe ab Aegypti termino auſtrali.

Palmis refertam eſſe hanc inſulam e SHAWIO *p*) diſcimus, qui et narrationem de earum in hac inſula origine ſubiicit.

LI.

IV Auſenſes.

Eorum ſitus et fines.

Machlybus finitimi dicuntur HERODOTO *Auſenſes*, οἱ Αὐσεις, Tritonidem paludem ab occidente accolentes, ita vt inter vtramque gentem fluuius Triton fluat. Haec HERODOTVS lib. IV. cap. 180. Verum hic relegenda ſunt, quae de Tritone fluuio obſeruata ſunt paragrapho ſuperiori.

§ LII.

2. *Tractus Libyae belluoſus.*

Hactenus de tractu Libyae maritimo orientali. Supra eum commemoratur HERODOTO *Tractus*

p) SHAW Tom. I. pag. 274.

Digitized by Google

belluoſus, (Vid. ſupra Delineatio Opuſculi 1. 2. pag 8.) ab hominibus non habitatus, quoniam feris maiorem in modum abundabat. Exiguam tamen eius partem tenuiſſe GARAMANTES ex HERODOTI lib. IV. cap. 174. apparet.

§. LIII.

3. *Tractus tumuloſus et ſabuloſus.*

Iam ad interiora nos ducit HERODOTVS, et ea, quae ſunt ſupra *tractum Libyae belluoſum* h. e. *ſupercilium illud ſabuloſum, quod a Thebis Aegyptiis vsque ad Herculis columnas, quas dicunt* (HERODOT. lib. IV. cap. 181.) *adeoque extra illas* (cap. 185.) *porrigitur*, deſcribit. Cuius quidem tractus vniuerſalem deſcriptionem cum iam ſupra exhibuerimus, (Vid. Delineat. Opuſc. 1. 3. pag. 8. 9.) eam hic nolumus repetere. Iam vero de ſingulis collibus, qui in eodem HERODOTO memorantur, deque eorum incolis fuſius expoſituri ſumus.

§. LIV.

α) *Ammonii in colle primo. Solis fons,*

Primi a Thebis decem dierum itinere *a*) in *tractu ſabuloſo et tumuloſo*, Auctore noſtro teſte *b*), habi-

a) Ita fere et PLINIVS Hiſt. Nat. lib. V. cap. 9. Illi enim l. c. Ammonis oraculum a Memphi duodecim dierum iter abeſſe dicitur.

b) Lib. IV. cap. 181.

Digitized by Google

habitant *Ammonii*, οἱ Ἀμμωνιοι *c*), qui ab oraculo Iouis, cui *Ammun*, ὁ Ἄμμουν *d*), nomen apud Aegyptios *e*), appellati sunt. BOCHARTVS *f*) *Ammoniorum* nomen a Chamo, Noachi filio, deducit, quem a patre in Africae steriles arenas abiegatum, ibique per multa secula sub nomine Iouis Ham sine Hammonis g) cultum esse docere conatur. Quod tamen extremo quasi digito attigisse sufficiat, siquidem talia nimis dubia ut incerta sunt.

Ammonios ab Aegyptiis et Aethiopibus originem suam trahere Auctor est HERODOTVS lib. II. cap. 42. Vtrum vero populosa gens fuerint *Ammonii*, an non? non omnino liquet; eos tamen regi paruisse et bella contra alias nationes populosque gessisse ex HERODOTI lib. II. cap. 32. aliisque locis perspicitur. Rudera *templi* Iouis

c) *Ammoni* saepius memorati HERODOTO v. c. lib. II. cap. 32. lib. III. cap. 17.

d) De Ioue Hammone dissertationem scripsit AEGIDIVS STRAVCHIVS, qua probare tentat, Hammonem diuersum non esse a Chamo, Noachi filio.

e) Vid. HERODOT. lib. II. cap. 42.

f) Phaleg lib. I. cap. 1. §. 14. pag. 5. D.

g) Ammonis nomen notissimum fuisse in Arabia et in omni Africa doceant Arabiae fluuius Ammon, (PLIN. Hist. Nat. lib VI. cap. 28.) Ammonium promontorium, (PTOLEM. lib. IV. cap. 7.) Ammonii populi, (PLIN. l. c.) AMMONIS vrbs ad Cinyphum fluuium in Africa propria: (PTOLEM. lib. IV. cap. 3.) Ammoniaca vrbs in Marmarica, quae et Paraetonium, (STRABO lib. XVII.) Ammonis delubrum in insula Meroe (PNIN. lib. VI. cap. 29). Africa etiam omnis ab Ammoniaca regione, HERODOTO memorata, et oraculo, toto terrarum orbe celeberrimo *Ammonia* dicta est.

Digitized by Google

uis Ammoni, de quo vide HERODOT. lib. II. cap. 42. coll. lib. IV. cap. 181. nunc supereſſe referunt peregrini, Meccam euntes, et vocant locum *Hefach-bir* a mole lapidum *h*). Ipſius autem oraculi antiqui origines exponit HERODOTVS lib. II. cap. 54. ſeqq *i*).

Ammonios, quos ad Marmaricam reuocandos eſſe dubio caret, POMPONIVS MELA *k*) vna cum *Solis fonte*, qui Ammoniorum erat, in Cyrenaica prouincia ponit; improprie tamen Cyrenaicam ad Catabathmum vsque extendit. LVCANVM tacemus, qui nunc Syrtibus finitimum dicit *Ammonem l*), uunc Garamantibus *m*).

Vrbs Ammon HERODOTO praeterita. Nec ſane eſt, quod mireris, Auctorem noſtrum iſtam vrbem, ſiue τας ἐπικαλουμενας Ἀμμωνος πολεις, *ab Ammone dictas vrbes*, vti dixit DIODORVS *n*), ſilentio praetermiſiſſe. Hinc enim diei iter aberat lucus et templum, Ammoni ſacrum *o*), de quo loquitur HERODOTVS. Vrbis ſane mentionem iniecisſet, ſi finitimum illi fuiſſet Ammonis templum. Regionis, quae templo iſti contermina erat, deſcriptionem dedit HERODOTVS nullam, exceptis iis

h) Vid GRAMMAYE Africa illuſtrata pag. 10.

i) Cui iungendus IS VOSSIVS ad Melae I. 8. pag. 32. ſeqq. ſitum templi Ammonis exponens.

k) Lib. I. cap. 8.

l) Lib. X. 38.

m) Lib. IX. 511 - 514.

n) Lib. XVII. pag. 527. (pag. 588. D.)

o) DIODOR. l. c.

iis, quae e *solis fontis* descriptione, de quo mox dicturi sumus, timide coniici possunt. Plura occurrunt apud DIODORVM l. c. Narrat autem *Scriptor Siculus*, arenas vastas et siticulosas illam regionem includere, omni humaniori cultu destitutas, ipsam autem regionem ad quinquaginta stadia tam in latitudinem, quam in longitudinem porrectam, multis aquis manantibus irrigari, arborumque omni genere, in primis frugiferentibus, refertam esse. Addit, *Ammonios*, (quo nomine sacri nemoris accolae intelligendi sunt) vicatim habitare circa ἀκροπολιν τριπλοις ὠχυρωμενην τοις τειχεσι, h. e. *arcem tciplici munitione firmatam.*

Extra hanc ἀκροπολιν ponitur a *Scriptore Siculo*

Solis fons, ἡ κρηνη Ηλιου; quem prope Ammonios esse HERODOTVS tradit simpliciter *p*). Hicce fons, referente HERODOTO, sub diluculum tepet, tempore fori repleti (h. e. die progrediente et quidem pro horarum succedentium ratione, DIODOR. lib. XVII. pag. 528. (p. 589. B.) frigescit, sub meridiem valde frigidus est. Declinante autem in vesperam die frigus remittitur ad occasum vsque solis, mox tepescit, tunc magis atque magis feruescens media nocte exaestuat; denique post mediam noctem ad auroram vsque refrigescit. Ita fere Herodotus de *Solis fonte*, certis diei horis mirabiliter se variante *q*).

p) Lib. IV. cap. 181.

q) Ex illis, qui de mirabili hoc *Solis* apud Ammonios *fonte* egerunt, HERODOTVM sequuti viden-

Digitized by Google

§. LV.

β) Augilae in colle fecundo.

Ab Ammoniis decem dierum iter (verſus occidentem) *alter collis ſalinus diſtat*, Ammonio ſimilis. Ibidem aqua fontana memoratur hominibus circumhabitantibus. Celebrata etiam bona dactylorum copia *a*), qua referta eſt, regio. Quarum colligendarum gratia hodieque in hanc regionem iter faciunt Africani quidam in primis Arabum, Libyam peruagantium ii, qui Lebetes vocantur. Vid MARMOL. Vom. III. pag. 53.

Quod ad ſitum Augilae attinet. (hoc nomine inſignitur collis iſte) ea LEONI AFRICANO a Nilo in quadringenteſimo quinquageſimo milliario diſtare, ſita autem eidem perhibetur ea via publica, quae e Mauritania per Libyae deſertum in Aegyptum ducit *b*). Verum neceſſe eſt, vt eiusmodi milliaria intelligamus, quae conueniant cum ducentis milliariis, quibus Augila a Nilo diſtare dicitur MARMOLIO, LEONEM ſequenti, et cum vigenti dierum itinere, quo teſte HERODOTO a Memphi *Augila* abeſt.

Cete-

dentur ARRIANVS lib. III. cap. 4. CVRTIVS lib. IV. cap. 7. et MELA lib. I. cap. 8. DIODORVS quoque lib. XVII. pag. 528. (p. 589. B.) non niſi quoad verba ab HERODOTO recedit.

a) HERODOT. lib. IV. cap. 182. coll. cap. 172.

b) Vid. LEO AFRIC. p. 633. 634. POMPONIVS MELA *Augilas* occidenti propiores pronunciat, quam

Ceterum inter omnes Libyae regiones, antiquis ſcriptoribus graecis memoratas, vna *Augila*, eaque ſtricte ſic dicta *c*), eodem nomine noſtro adhuc aeuo inſignitur, quo antiquitus vocabatur *d*).

§. LVI.

γ. *Garamantes auſtrales in colle tertio.*

Ab Augilis decem dierum itinere *a*) verſus occaſum faciundo adſunt

Garamantes, οἱ Γαραμαντες, tertium ſalis collem, palmis et aqua fontana abundantem inhabitantes. Perhibentur autem *auſtrales* hi *Garamantes* gens eſſe valde numeroſa, agro colendo victum quaerens. Verum rapto quoque vixiſſe eos tantum non diſertis verbis affirmat HERODOTVS; hoc tamen ſatis indicat dum eos Troglodytas Aethi-

quam Garamantes. Nam lib. I. cap. 4. *primos* inquit, *ab oriente Garamantes, poſt Augilas et Troglodytas, et vltimos ad occaſum Atlantes audimus*. Verum haec de *Augilarum* ſitu relatio conſentanea non eſt HERODOTO. De ſitu *Augilarum* vid. et PLINII Hiſt. Nat. lib. V. cap. 4. Addatur DAPPER. pag. 323.

c) Augilorum nomine ſenſu latiori ſumto omnem ſignificant regionem deſertam, quae ab Augilis ſtricte ſic dictis vsque ad Nilum porrigitur. Quae omnis regio noſtra aetate inhabitatur ab Arabibus. qui Lebetes dicuntur. MARMOL Tom. III. pag. 53. *de la* CROIX Tom. II. p. 341.

d) Aid. MARMOL. l. c. *de la* CROIX Tom. II. pag. 254. p. 340. ſeqq. LEO AFRIC. p. 634. 636.

a) Garamantes 12 dierum itinere abeſſe ab Augilis PLINIVS refert Hiſt. Nat. lib. V. cap. 4.

Digitized by Google

thiopes quadrigis venari ſeu perſequi tradit. Ab his *Garamantibus* ad Lotophagos triginta dierum itinere peruenire licet *b*).

Regionis a gente noſtra inhabitatae longitudo verſus orientem iter facienti circiter 1000 ſtadia, latitudo 300, aut paullo plura, quantum quidem cognitum *c*).

De *bubus retro paſcentibus* (ὀπισθονομοις), qui inter *auſtrales Garamantes* fuerunt, HERODOTO lib. IV. cap. 183. et ex eo MELAE lib. I. cap. 8. item PLINIO Hiſtor. Nat. lib. VIII. cap. 45. et ARISTOTELI Hiſt. Animal. lib. VI. cap. 21. memoratis, vide IS. VOSSIVM ad MELAE loc. cet, pag. 41. ſeqq.

§. LVII.

δ) *Atrantes in quarto colle.*

A Garamantibus rurſus itinere decem dierum verſus occidentem *quartus* eſt *collis ſalinus* et aqua circumhabitantibus hominibus, quibus propria nomina nulla ſunt. Vocantur autem *Atrantes*, οἱ Ἀτραντες. Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 184.

Verum hic prolixius de *Atrantum* nomine exponendum nobis eſt. In Codd. legitur Ἀτλαντες, vti notum eſt omnibus. At haud facile aliquis induci poterit, vt hanc lectionem genuinam eſſe et ab

b) HERODOT. lib. IV. cap. 183.

c) STRABO lib. XVII. pag. 839. A.

Digitized by Google

ab HERODOTO profectam existimet. Non enim credibile videtur, Libyes hos, qui quartum regionis tumulosi et sabulosi collem tenebant, quibusque propria nomina non erant, eodem nomine fuisse insignitos, quo decem ab his dierum itinere versus occidentem distantes a monte Atlante appellabantur. Nec rem illustrant PLINIVS Hist. Nat. lib. V. cap §. et POMPONIVS MELA, scriptores HERODOTO multis seculis iuniores, quos ea, quae HERODOTVS de duabus gentibus decem dierum iter distantibus tradidit lib. IV. cap. 184. ad vnos *Atlantes* transtulisse videmus. Verba MELAE, quae huc spectant, lib. I. cap. 8. occurrunt. Sunt autem haec: *Ex his, qui vltra deserta esse memorantur, Atlantes solem exsecrantur et dum oritur, et dum occidit, vt ipsis agrisque pestiferum. Nomina singuli non habent*: (Hucusque dicta de *trantibus*, vti haud dubie legendum, affirmat HERODOTVS l. c.; quae subiicit MELA de iis pronunciat Auctor noster, qui ab Atlante monte *Atlantes* dicti sunt) *non vescuntur animalibus, neque illis in quiete, qualia ceteris mortalibus visere datur.*

Verisimillima videtur coniectura SALMASII in SOLINVM pag. 410. VALKENARIO, WESSELINGIO, LARCHERIO (Tom. III. pag. 483.) aliisque viriseruditis probata, vetustissimum mendum in HERODOTO haesisse iudicantis, corrigendumque Ἀτραντες, atque hos esse, qui Ἀταραντες RHIANO dicuntur et perperam Ἀφαραντες apud STOBAEVM et NICOLAVM DAMASCENVM pag. 521. Nec in alia sententia fuisse videtur celeberrimus ISAAC. VOSSIVS, qui *Atlantes* MELAE me-

memoratos *Atarantes* appellat. Videat VOSSIVS ad MELA locum laudatum.

§. LVIII.

a) Atlantes in colle quinto. Mons Atlas

Superest, vt in supercilii tumulosi et fabulosi descriptione de *Atlantibus* exponamus, quorum collem decem dierum iter ab *Atrantibus* diffitum esse HERODOTVS refert l. c. Addit, aquam ex eo emitti, ipsos autem homines, collem incolentes, a monte finitimo *Atlantes* dictos; animalibus vesci, et insomnia cernere negat.

Prope hunc collem ponitur ab HERODOTO

Atlas mons, quem adeo celsum perhibet, vt eius cacumen cerni nequeat, quoniam nubes nec aestate nec hieme eum relinquant. HERODOT. lib. IV. cap. 184. Ab indigenis coeli columna creditur, (HERODOT. l. c.) quod idem iam ab anti-

a) Ab his *Atlantibus*, quos animalibus vesci et insomnia cernere negat HERODOTVS diuersi omnino sunt, si fuerunt vmquam, *Atlantei*, οἱ Ἀτλάντιοι, quos DIODORVS tamquam humanissimos et felicissimos describit lib. III. pag. 187. (p. 131. D.) quo in loco eos omnium istis in locis mitissimos esse, et terram felicem vrbesque magnas habitare affirmat. Cui loco iungendus alius, qui lib. III. pag. 189. (p. 132. D.) exstat, in quo Oceani accolae, felicem terram tenere et hospitalitate omnes finitimos superare dicuntur. Dubitatur autem, nec immerito, an hi Atlantei vspiam fuerint.

Digitized by Google

antiquiſſima inde aetate fama vulgatum fuiſſe ex HOMERI *Odyſſ. α.* 52 - 54. intelligitur. *Atlantem* etiam extra Herculis columnas porrigi indicat HERODOTVS lib. IV. cap. 185.

Ad finem perducta de *Atlantibus* relatione, ad hos vſque ſe poſſe quidem eorum nomina recenſere, qui ſupercilium ſabuloſum incolunt, poſt hos non amplius, HERODOTVS lib. IV. cap. 185. profitetur, vnde, ſi quid videmus, intelligitur, innotuiſſe HERODOTO et, ſupercilium noſtrum vltra *Atlantes* adhuc porrigi, et, eſſe adhuc alias gentes, Libyam vltra *Atlantes* inhabitantes.

§. LIX.

4. *Libya vltra ſupercilium ſabuloſum.*

Pauciſſima ſunt, quae de *Libya vltra ſupercilium ſabuloſum* memoriae HERODOTVS prodidit, eaque a nobis iam ſupra expoſita. Vid. Delineat Npuſc. I. 4. pag. 10.

II. DESCRIPTIO ORAE LIBYAE MARITIMAE OCCIDENTALIS, MARI MEDITERRANEO OBVERSAE.

§. LX.

1. *Maxyes.*

Veuimus nunc HERODOTVM ducem ſequentes ad deſcribendam *Libyae oram maritimam, mari mediterraneo obuerſam, qune a Tritone fluuio et Tritonide pvlude verſus occidentem porrigitur*, h. e.

ad

e. ad eos Libyes, qui aratores esse et domos possidere dicuntur.

Horum autem primi, quos commemorauit antiquissimus Libyae Geographus, sunt

Maxyes, οἱ Μαξυες, Ausenses ab oriente contingentes, quorum regio montosa perhibetur, ferisque repleta. HERODOT. lib. IV. cap. 191. Subiicit HERODOTVS l. c. *Maxyes* originem suam a Troianis deducere, dextram capitis partem comatam habere, alteram vero tonsam, et omne corpus minio tinctum. Verum haec monuisse sufficiat.

§. LXI.

2. *Zaueces.*

Sequitur vt commemoremus *Zaueces* οἱ Ζαυεκες, seu *Zabeces*, qui inter *Maxyes* et *Byzantes*, de quibus §. LXII. exposituri sumus, incolebant. Vid. HERODOT. lib. IV. cap. 193. coll. cap. 194. *Zaueces* gentem fuisse bellicosam haec HERODOTI verba docent et declarant: Τοισι αἱ γυναικες ἡνιοχευσι τα ἁρματα ἐς τον πολεμον.

§. LXII.

3. *Byzantes*; *Insula Cyraunis.*

A *Zauecibus* versus septentrionem vsque ad oram maris mediterranei, *Cercinae insulae* (quam non diuersam esse ab ea, quae apud Auctorem nostrum *Cyraunis* nomine venit, mox docebimus) obuer-

Digitized by Google

obuerſam habitaſſe *Byzantes*, οἱ Βυζάντες *a*), partim ex HERODOT lib. IV. cap. 194. coll. cap. 193. partim e cap. 195. eiusdem libri ſatis appareret. Quousque autem *Byzantium terra* a regione Cercinae inſulae obuerſa in caurum pertinuerit non omnino liquet. PLINIVS *b*) *appellatur*, inquit, *regio* 250,000 *paſſuum per circuitum*; et STRABO *c*) *Byzacios*, Βυζάκιους, (ſic ipſi *Byzantes Herodotei* dicuntur, *vsque ad regionem Carthaginenſem* habitare tradit. — Regio noſtra, antiquis ſcriptoribus etiam *Emporia* dicta, tantae fertilitatis eſſe perhibetur, vt centeſimam frugem agricolis foenus reddat *d*). Apum cura apud *Byzantes* maxima erat;

a) Sic noſtra quidem ſententia omnino legendum apud HERODOTVM, non, vt vulgo legitur, Γυζάντες, aut Ζυγάντες, quod peſſime. Erroris quidem reum declarat STEPHANVM BYZANTINVM, voce Βυζάντες ſcribentem παρ' Ἡροδότῳ δὲ κακῶς διὰ του γ Γυζάντες, vir longe celeberrimus et doctiſſimus, P. WESSELINGIVS ad HERODOTI lib. IV. cap. 194. affirmans, longe hinc (hoc eſt, ab ea gente, quam HERODOTVM indicare putat) diſtare Afros Byzantes et Byzacium infra Carthaginem Syrtibus affines. Verum hoc loco audiendus non eſt Vir doctiſſimus. Hi enim ipſi apud Herodotum intelligendi, ſunt, id quod maxime e Cercinae inſulae ſitu apparet, quam iuxta Byzantes ponit HERODOTVS lib. IV. cap. 195. princ. coll. cap. 194.

b) Hiſtor. Natur. lib. V. cap. 3.

c) Lib. II. pag. 131. B.

d) LIVIVS lib. XXXIV. cap. 62. coll. lib. XXIX. cap. 25. PLINIVS l. c.

erat; montes autem, quos accolunt, ſimiis, quibus ipſis veſcuntur incolae, abundare dicuntur *e*).

Iuxta *Byzantes f*), referentibus Carthaginienſibus, ſita eſt

Cyraunis, ἡ Κυραυνις, inſula, aliis ἡ Κυρνις dicta, oleis vitibusque referta, longitudine ducentorum ſtadiorum, admodum vero anguſta, in quam tranſiri poteſt e continenti, cum qua ponte coniuncta erat, teſte PTOLEMAEO. In hac inſula lacus memoratur, e cuius limo virgines indigenarum volucrum pennis pice illitis ramenta auri referunt g). His, quae a Carthaginienſibus acceperat, ſtatim ſubiicit HERODOTVS, ſe, an vera ſint, ignorare, ſed referre tantum, quae ipſe narrata accepiſſet. Iam vero in oculos incurrat vnicuique neceſſe eſt, Auctorem noſtrum iſta addidiſſe non propter inſulam ipſam, ſed propter picis e lacu iſto colligendae modo. Quem tamen vt neget aut dubium faciat tantum abeſt, vt potius ex picis e lacu Zacynthi inſulae colligendae modo, quem ipſe experientia edoctus cognouerat *h*), colligat, non a vero recedere, quae Carthaginienſes de lacu *Cyraunis* inſulae narrare ſolebant *i*).

Quod

e) HERODOT. lib. IV. cap. 195. Vid. et APOLL. DYSCOLI hiſtoria commentitia cap. 38.

f) HERODOT, lib. IV. cap. 195. coll. cap. 194.

g) HERODOT. lib. IV. cap. 195.

h) Zacynthi lacus miraculi mentionem faciunt praeter HERODOTVM ANTIGONVS CARYSTIVS cap. 169. et VITRVVIVS lib. VIII. cap. 3.

i) Vid. HERODOT. l. c.

Digitized by Google

Quod reliquum est, quin HERODOTVS *Cyraunis* insulae nomine eam iudicet insulam, quae vulgo *Cercina* siue *Cercinna* (ἡ Κερκινναι, STRAB.) appellatur, nulli dubitamus. Quod quidem facile colligitur e mensura longitudinis huius insulae, eiusque latitudinis, quam eamdem tradunt HERODOTVS et PLINIVS *k*). Ducenta enim stadia, quae *Cyraunis* in longitudinem porrigi HERODOTO dicitur, conueniunt cum viginti quinque millibus passuum, quantam *Cercinae* longitudinem esse PLINIVS auctor est. Erroris autem reus declarandus est PLINIVS, soli *Cercinnae* istam longitudinem tribuens. *Cercinnae*, quae nostro aeuo *Gameleria* appellatur, olim perparua insula *Cercinnitis* (hod. *Querqueni* seu *Cherchemi*) ponte iungebatur *l*), quae insulae iunctae istam longitudinem efficiunt. Fretum, quod vtramque insulam interfluit, fossa potius, quam fretum dicendum est et omnino errant auctores quidam, qui illud quinque passuum millibus patere affirmant. De *Cercinna* insula lege et DIODORI SICVLI lib. V. pag. 294. (pag. 204. D.) *m*), quem locum transcribere nolumus. Monemus tamen, DIODORVM *Cercinnam* confudisse cum *Cerne* insula, quae fuit in mari Atlantico.

k) Histor. Natural. lib. V. cap. 7.

l) PLINIVS l. c.

m) SANVTVS, teste DAPPERO pag. 299. putat non solum insulas *Gameleriam* et *Querqueni* cohaesisse, sed etiam duas insulas, quae *Kumilier* dicuntur, ita vt quatuor hae olim vna fuerint, eademque insula, quae antiquis scriptoribus *Cyraunis* dicitur.

Digitized by Google

Hactenus de populis, Libyae orae maritimae, mari mediterraneo obuersae, partem occidentalem habitantibus. Colligenti appareat necesse est, nos non eorum sententiae subscribere, qui HERODOTI loco lib. II. cap. 32. nisi affirmant, *Maxyes*, *Zauaeces* et *Byzantes*, (aut quoque demun modo hanc gentem appellaueris, *Gyzantes* vel *Zygantes*), omnem tenuisse oram Libyae maritimam, quae a Tritone fluuio et Tritonide palude vsque ad Herculis columnas porrigitur. Concedimus quidem, probe innotuisse HERODOTO, varias gentes illam quam diximus, oram Libyae maritimam omnem frequentasse. Sed quidni statuamus, HERODOTVM tantum de *Maxyibus*, *Zauecibus* et *Byzantibus* non nihil narratum a Carthaginiensibus accepisse? Nonne ipse Auctor noster his verbis, quae lib. IV. cap. 197. princip. exstant: οὗτοι μεν εἰσι τους ἡμεις ἐχομεν Λιβυων ὀνομασαι indicare videtur, istam Libyae oram ab aliis adhuc gentibus habitari? Nonne e *Cyraunis* insulae situ, quae, si quid videmus, nulla alia esse potest, nisi *Cercinnae*, idem intelligitur? Quaerentibus autem, cur de iis gentibus, quae a Carthagine versus occidentem incolebant, nihil a Carthaginiensibus narratum acceperit HERODOTVS, respondeat STRABO, lib. XVII. pag. 802. affirmans Καρχηδονιους κατα ποντουν, εἰ τις των ξενων εἰς Σαρδω παραπλευσειεν, ἡ ἐπι ςηλας, *Carthaginienses* (nimirum aliis gentibus mercaturam facientibus male cupientes) *demergere peregrinos, qui in Sardiniam, vel in Herculis columnas nauigant.*

Nemini equidem obtrudimus hanc nostram qualemcunque sententiam, hactenus inauditam, quantum

tum ſcimus; ſimul tamen, vt eam non plane reiiciant Viri docti, quorum iudicio vt omnem libellum, ſic hanc quoque ſententiam ſubiicimus, modeſte rogamus.

§. LXIII.

De Carthagine nonnulla,

Iam quae in ora Libyae maritima, quam deſcribimus, HERODOTO duce commemoranda reſtant, tribus verbis ſubiiciamus. Primo autem loco de *Carthagine* exponendum, quae vrbs Graecis ſcriptoribus ἡ Καρχηδών dicitur, eius autem ciues οἱ Καρχηδώνιοι appellantur. Vtrumque nomen ſaepius in HERODOTO occurrit, v. c. lib. III. cap. 17. 19; praeterea pauca ſunt, quae cum de vrbe, tum de ciuibus eius memoriae prodidit HERODOTVS. Appellat tamen *Carthaginienſes* et ipſe *liberos Phoenicum*, quod epitheton quid ſibi velit facile perſpicitur. Scilicet e Tyro, Phoenices vrbe, in Carthaginem colonia deducta perhibetur. Ipſum *Carthaginis* nomen Phoenicium fuit, ſed a Romanis corruptum. Poenis enim dicitur *Carthada*, hoc eſt, *noua ciuitas*. Videat. BOCHART Phaleg lib. IV. cap. 32. pag. 332. B.

Sita eſt *Carthago* in peninſula quadam, cui ambitus eſt 360. ſtadiorum; in media vrbe *Byrſa* arx, in loco arduo ſita, qui circumcirca habitatur. Ita quidem in vniuerſum STRABO lib. XVII. pag. 832. C. de ſitu vrbis noſtrae. Verum plura de *Carthagine* addere animus non eſt. Nam vt

SALLVSTII (*Bell. Iugurth.* p. 78.) verbis vtamur, de Carthagine silere melius putamus, quam pauca dicere.

§. LXIV.

Columnae Herculis.

Omnem oram Libyae maritimam, quae e *Carthagine* versus occidentem porrigitur, vsque ad *Columnas Herculis*, quas vocant, HERODOTVS quantum nos quidem videmus *a*), silentio praetermisit. Harum vero nonnunquam iniecta est mentio *b*). Sed quae de his columnis fama vulgauit tacemus, quippe quae et notissima sunt, et ab hac commentatione aliena. Columna Libyae antiquis scriptoribus dicitur *Abyla*, Hispanica *Calpe c*).

LXV.

Locus anonymus extra Columnas Herculis

Extra Herculis Columnas ex relatione Carthaginiensium HERODOTO memoratur *locus quidam*, cuius nomen ignoramus, ab ista gente mercaturae caussa nauibus adiri solitus. HERODOT. lib. IV. cap. 196. De mercium permutandarum consuetudine eiusque ratione inter *Carthaginienses* et *loci* illius *anonymi* incolas sine sermone sed fidei plena, exponit HERODOTVS l. c. Quae cui conferre pla-

a) Relegenda sunt, quae §. LXII. subiecimus.

b) Lib. I. cap. 202. lib. IV. cap. 42. 43. 196.

c) POMPON. MELA lib. II. cap. 6.

Digitized by Google

placeat cum iis, quae de hac mercium permutandarum consuetudine nondum exoleta Nigrites inter et Mauros nobis tradidit sollertissimus SHAW (*Voyages* Tom. I. pag. 392. 393.) apparebit, locum illum, cuius nomen Auctor noster non profitetur, haud dubie eumdem esse, quem uunc *Segambiam* dicimus.

§. LXVI.

De promontorio Soloente.

Saloentem HERODOTVS lib. II. cap. 32. et lib. IV. cap. 43. promontorium Libyae eiusque versus occidentem terminum appellat. Quod posterius falsum esse constat, siue promontorium, nostra aetate *Cantin* dictum, siue *Ampelusium* intelligas. De promontorio *Ampelusia* cogitare nos quasi cogunt ea, quae apud HERODOTVM lib. IV. cap. 43. leguntur. Verba, quae innuimus, haec sunt: ὁ Σατασπης ἀπικομενος ἐς Αἰγυπτον, και λαβων νεα τε και ναυτας παρα τουτεων, ἐπλει παρα Ἡρακληϊας στηλας· διεκπλωσας δε, και καμψας το ἀκρωτηριον της Λιβυης, τῳ οὐνομα Σολοεις ἐστι, ἐπλεε προς μεσαμβριην, h. e. *Sataspes in Aegyptum abiit, sumtaque illic naue ac nautis nauigauit ad columnas Herculeas: quibus transmissis, flectens Africae promontorium, cui nomen Solois, in meridiem cursum tenebat.* Quae omnia dici non potest, quam bene quadrent in promontorium, quod graeco idiomate *Ampelusia*, punica vero lingua *Cotes* nuncupatur. Aperte enim significare videtur HERODOTVS Libyae promontorium, quod primum excipit Herculis columnas. In eadem sententia fuit Vir quidam

dam doctus, nescio quis? qui ISAACO VOSSIO, Viro erudito, ob eamdem male vapulat. Ita enim clarissimus VOSSIVS ad POMPON. MELAE lib. I. cap. 5, 5. quo in loco MELA *Ampelusiae* meminit: *Valde errat Vir quidem doctus, qui Soloenta vel Syloenta ex Herodoto hic locum habere putat. Abest illud hinc quam longissime.* Vtinam nos docuisset VOSSIVS *Soloentis* situm, et perspicuum nobis fecisset, ex adscripto HERODOTI loco non sequi, eum *Soloentis promontorii* nomine *Ampelusiam* significasse. Qui minus seruiliter illum HERODOTI locum intrrpretari mauult, quam inter pretationem admitti posse non negamus, adstipuletur vulgari sententiae, secundum quam Auctor noster promontorium *Cantin* significasse dicitur *a*), quod nunc *Ras - el - Hudik* vocatur *b*). Plane vero audiendus non est DAPPERVS (pag. 7. 6.) qui *Soloentis* nomine promontorium bonae spei forte intelligendum esse coniicit.

§. LXVII.

Breuis relatio de generali, quae nostra aetate obtinet, partis Libyae hucusque descriptae diuisione.

Perducta ad finem partis melioris *Libyae Herodoteae* descriptione, comperationem antiquae eius diuisionis cum hodierna paucis verbis subiungemus.

Om-

a) D'ANVILLE Geogr. Ano. Abr. Tom. III. pag. 114. LARCHER. Tom. VII. pag. 342. HORST. pag. 6. 7.

b) HORST. pag. 97.

Digitized by Google

Omnis Libyae pars, cuius descriptionem HERODOTO duce, hucusque exhibuimus, hodie *Barbariae* appellatur, quo nomine venire totum Africae tractum ab Aegypto ad fretum Gaditanum, qui mari mediterraneo, Atlante monte Libyaeque desertis concluditur, et quo regna *Maroccae*, *Fessae*, *Algerae*, *Tuneti* et *Tripolis* continentur, notum est. Gentes Libyae maritimae, quas exposuimus, non nisi eam regionem tenebant, qua hodie regna *Tuneti* et *Tripolis* constituuntur. *Carthago* enim antiqua in *Tuneto* vltima Libyae vrbs est versus occasum, cuius in orae Libyae maritimae descriptione meminit HERODOTVS. Quae vero a *Carthagine* versus occasum sita est orae Libyae maritimae pars, HERODOTO non innotuit, (Conf. § LXII.) si a Columna Herculis Libyca recesseris, et loco anonymo, extra eam sito, promontorioque *Soloente*, HERODOTO e Carthaginiensium relatione notis, quorum ille regno *Fessae* adiudicandus videtur, hoc *Maroccae* regno.

GEOGRAPHIA AFRICAE HERODOTEAE

SECT. II. CAP. II.

DESCRIPTIO LIBYAE INTERIORIS.

*

§. LXVIII.

1. *De populo Nigrum accolente.*

Accedimus tandem ad ſectionis poſterioris libelli huiuſce caput alterum, in quo ea nobis exponenda reſtant, quae de Libya interiore in HERODOTI opera paſſim occurrunt. Hic vero primo loco commemorandus nobis venit *populus, Nigrum accolens.* HERODOTI locus, qui huc pertinet, lib. II. cap. 32. exſtat, Narrat autem l. c. Hiſtoricorum pater atque princeps, Naſamonum quinque filios, peragrato longo ſabuloſae Libyae regionis tractu, et multorum dierum itinere verſus occidentem confecto, vidiſſe tandem arbores frugiferas, in planitie natas; tum, ſuperueniſſe iis puſillos, qui forent infra mediocrem virorum ſtaturam (ἀνδρας μικρους, μετριων ἐλασσονας ἀνδρων) ductosque ab his per paludes maximas, easque tranſgreſſos peruenisſe in vrbem, in qua aequali omnes ſtatura

tura forent, colore nigro; denique, hanc vrbem magnum praeterlabi fluuium, a veſpera ad ortum ſolis fluentem, in quo conſpicerentur Crocodili. Hactenus HERODOTVS.

Quo in loco ne verbum quidem de *Nigro flumine* occurrere, probe videmus. Verum ſi quidquam huic narrationi ineſſe ſtatuere velimus, quod a ſana ratione non plane abhorreat, neceſſe eſt, vt fluuii iſtius nomine Nigrum indicari affirmemus *a*).

Populum huncce *Pygmaeis b*), annumerandum eſſe, hoc eſt, hominibus corporis et brevitate et exilitate praeditis, non eſt, quod vlli dubitemus. Breues enim et exiles ſunt, quicunque nimio ſole premuntur. Verum caue cogites de iſtis Pygmaeis, qui et Nubae appellantur, quique in Aethiopiae ſupra Aegyptum finibus auſtralibus habitabant, iis, inquam, prope quos Nili fontes ponuntur ab ARISTOTELE Hiſtor. Animal. lib. IX.

Ceterum dari nec integras Pumilionum nec Gigantum nationes, nemo neſcit. Ergo nec *Pygmaei* non in Aethiopiam ſolum, ſed etiam in Indiam et extremam Scythiam a priſcis auctoribus translati, eiusmodi minutum hominum genus habendi ſunt

a) Videatur D'ANVILLIVS in: Memoires de l'Academie des Inſcript. Tom. XXVI. pag. 65.

b) Ipſi *Pygmaei* ſeu Pumiliones iam ex HOMERI Iliad. g. 5. 6. noti, quamquam, STRABONE (lib. I. pag. 32. Edit. Baſil. 1571. fol.) iudice, ab HOMERO omnem oram Oceani meridionalem tenere *finguntur* Vid. *Geogr. Homeri* §. CXLIII. pag. 159.

Digitized by Google

ſunt, quale vulgo depinguntur. Ab HERODOTO tamen prudentius, quam poetarum in fabellis deſcriptos eſſe, vidit etiam WESSELINGIVS ad laudatum HERODOTI locum *c*).

§. XL.

2 *Aethiopia ſupra Aegyptum.*

a) *De variis incolarum Aethiopiae ſupra Aegyptum ſitae nominibus, in Herodoto obuiis; item de Troglodytis Aethiopibus.*

Aethiopes ſupra Aegyptum incolentes ab Aethiopibus, qui longius ſupra hos habitant, et μακροβιοι, hoc eſt, *longaeui* ſaepius HERODOTO dicuntur, (Vid. §. LXXV.) ſatis diſtinguit Auctor noſter lib. cap. 97. Hoc enim loco memorantur Αἰθιοπος οἱ προσουροι Αἰγυπτῳ, τους Καμβυσης ἐλαυνων ἐπι τους μακροβιους Αἰθιοπας κατεῤῥεψατο, *Aethiopes contermini Aegypto, quos Cambyſes facta in Aethiopes longaeuos expeditione ſuperauit.* Ab his diuerſi omnino ſunt *Aethiopes Aſiatici*, quos in viginti illarum gentium numerum retuliſſe deprehenditur HERODOTVS lib. III. cap. 94, quibus tributa Dario Hyſtaſpis ferenda erant, Commemorantur iterum lib. VII. cap. 70. Horum autem nomine intelligendi ſunt Colchidis incolae, hoc eſt, ii Aegyptii, qui in Colchidem olim translati erant

c) Veterum de *Pygmaeis* ſententias et recentiora de iis teſtimonia deligenter collegit, item de regione et vera *Pygmaeorum* magnitudine, denique de eorum geranomachia bene expoſuit IOBVS LVDOLFVS in Comment. ad Hiſtor. ſuam Aethiop. pag. 69 - 74.

Digitized by Google

erant *a)*. De Aethiopibus orientalibus videatur LARCHERIVS Tom. VII. pag. 151. 152.

Aethiopibus ſupra Aegyptum incolentibus ſubterraneas domus dat HERODOTVS lib. III. cap. 94. quae erant in ora ſinus Arabici, quae *Troglodytices* nomine venit. Hinc ipſi Auctori noſtro lib. IV. cap. 183. laudatur *Troglodytae Aethiopes*, οἱ Τρωγλοδυται Αἰθιοπες *b)*, eosdemque l. l. omnium hominum celerrimis pedibus eſſe, ſerpentibus, lacertis, aliisque id genus reptilibus veſci, lingua nulli alteri ſimili vti et veſpertilionum inſtar ſtridere affirmat *c)*.

§. LXX.

β) Fines Aethiopiae ſupra Aegyptum; Fluuius.

Quod attinet ad *fines Aethiopiae ſupra Aegyptum*, quinam ii ſint verſus ſeptemtrionem facile intel-

a) Vid. LARCHERIVS Tom. III. pag. 333. not. 147.

b) Troglodytarum regio a τρωγλαις, *cauernis*, quas habitaculorum loco habebant, dicebatur. Ejus modi ſpecus in variis regionibus commemorantur, in Aethiopia interiore, in Ammoniaca, in Scythia. Sed omnium notiſſimae ſunt in Aethiopia ſupra Aegyptum et ad ſinum Arabicum, quas haud dubie innuit HERODOTVS.

c) De *Troglodytis* in vniuerſum vide quae collegit IOB. LVDOLFVS in commentario ad Hiſtoriam ſuam Anthiopicum pag. 199. 200. Quas vero de ſtridenti eorum lingua narrat HERODOTVS, ea refert etiam DAPPERVS pag. 625. Cuius relationem confirmat LVDOLFVS l. c. pag. 199. hunc ſermonem ipſe audiuit a tali barbaro, qui ſpectaculi cauſſa in Hollandia et Germania circumducebatur.

Digitized by Google

intelligitur. Etenim ab Elephantine ſuperiora Aethiopes incolere tradit ipſe HERODOTVS lib. II. cap. 29. Caue igitur, ne forte a *Tachompſo inſula*, (§. LXXII.) quae ſita eſt in Nilo quatuor dierum nauigatione ſupra Elephantinem, ea de cauſa Aethiopiae initium ſumas, quoniam alteram eius partem Aegyptii tenuiſſe perhibentur, alteram Aethiopes. HERODOT. l. c. Orientalis *Aethiopiae ſupra Aegyptum* terminus ſinus eſt Arabicus; verſus meridiem vero et occidentem incerti ſunt termini; Libyae regiones ipſae, quae adiacent, parum cognitae.

De *Nilo* ab Elephantine ad Automolos, hoc eſt, 112 dierum iter ſupra Aegyptum adeoque in Aethiopia ſupra eam ſita cognito, expoſuimus ſupra §. XVII. XVIII.

§. LXXI.

γ) *De vrbe Nyſa.*

Atque haec quidem generaliora ſunt, quae de Aethiopia ſupra Aegyptum hoc loco commemoranda nobis erant. Accedimus iam ad ſpecialiora, in quibus recenſendis et explicandis, cum paucissima ſint, quae huc ſpectant, ex HERODOTO. haurienda, hunc ſeruabimus ordinem, vt a ſeptentrione initio ſumto in meridiem pergamus. Hunc ordinem ecce! ipſe HERODOTVS noſter ſeruauit lib. II. cap. 29. 30. cumdemque ſequi eo minus dubitamus, quo eſſe certius deprehenditur, Auctorem noſtrum praeter ea, quae locis laudatis occurrunt, nihil attigiſſe, quod ad ſpecialiorem Aethiopiae

piae noſtrae Geographiam pertineat, ſi a *Nyſa vrbe* receſſeris, de qua variis rationibus, quas recenſere hic nihil attinet, inducti, primo loco exponere conſtituimus.

Vrbs haecce diſertis verbis ab HERODOTO lib. II. cap. 146. ponitur ὑπερ Αἰγυπτου ἐν τῃ Αἰθιοπιῃ, *in Aethiopia ſupra Aegyptum*, et lib. III. cap. 97. Aethiopes Aegypto contermini περι Νυσην τὴν ἱρὴν *circa Nyſam ſacram*, incolere dicuntur. Vrbem vtroque loco intelligendam eſſe ſatis perſpicitur. Quae ritur autem in quanam Aethiopiae noſtra ſita ea fuerit? Nos quidem, quamquam explicandae huic quaeſtioni diu inſudauimus et vix quidquam omiſimus inexpertum, vnde lux peti poſſet et *Nyſae* noſtrae ſitus definiri, fatemur ingenue, quaeſtionem iſtam quantum videmus, ſolui omnino non poſſe. In cauſſa eſt magnus nnmerus vrbium Niſarum, Nyſarum et Nyſſarum, quae antiquis ſcriptoribus memorantur. In cauſſa etiam ſunt poetae, qui, cum ipſis ad Orgya Bacchi, diuerſis in locis enarranda, opus eſſet monte; in quo illa agerentur, Nyſam aliquam vbique intulere. Vid *Ill.* HEYNE *ad Apollodor.* pag. 564. Adde, quod prope montem Deo cuidam ſacrum ſaepiſſime etiam vrbs erat, cognomen eidem monti, vt facile credas, nullam forte in Aethiopia noſtra fuiſſe vrbem, *Nyſae* nomine inſignitam. Nec quidquam multum impedit, ne ipſa quidem hiſtorica HERODOTI fides, quo minus hoc ſtatuamus, ſiquidem Auctorem noſtrum in Aethiopia non fuiſſe, certum eſt. Vid. HERODOTI lib. II. cap. 29. Quod cum ita ſit, nec hoc poetae antiqui loco, DIODORO SICVLO (lib. I. pag. 14. ſ. pag. 10. A.) memorato:

Ἐς

Ἐσι δε τις Νυσῃ, ὑπατον ὀρος, ἀνθεον ὑλῃ Τηλου Φοινικης, σχεδον Αἰγυπτιοιο ροαων, licet de Nyſa Aethiopiae ſupra Aegyptum monte accipi poſſit, cogimur, vt in Aethiopia fuiſſe *Nyſam montem et vrbem eiusdem nominis prope eum* ſtatuamus.

§. LXXII.

δ) *De inſula Tachompſo.*

De hac inſula iam ſupra expoſuimus in deſcriptione Aegypti, §. XXXIII. ad quem locum, ne ſemel dicta repetamus, lectores ablegaſſe ſufficiat. De ſitu inſulae noſtrae conferendus D'ANVILLIVS in libro, ſaepius laudato: *Memoires ſur l'Egypte* pag. 217.

§. LXXIII.

ε) *De vrbe Meroë.*

Meroe ἡ Μεροη *a*), πολις μεγαλη και μητροπολις των Αἰθιοπων, *vrbs magna et caput Aethiopum*, cuius primus omnium *Hiſtoriae pater* mentionem facit, ipſi HERODOTO ſita dicitur ad Nilum, 56. dierum iter et paullo amplius ſupra Elephantinem *b*) Templum habuit et oraculum Iouis *c*). Noſtra aetate *Ialac* nomine inſignitur *d*).

Habi-

a) De *Meroe inſula* in vniuerſum fuſius exponit IOBVS LVDOLFVS in Commentario ad Hiſtoriam ſuam Aethiopicam pag. 88. ſeqq.

b) Vid. HERODOT. lib. II. cap. 29, 30.

c) HERODOT. lib. II. cap. 29.

d) D'ANVILLE Geographie Anc. Abreg. Tom. III. pag. 50.

Digitized by Google

Habitabatur vrbs noſtra in *inſula Meroe*, quem vocant, de qua, licet eius apud HERODOTVM nulla exſtet mentio, pauca tamen commemorare animus eſt. Antiqui ſcriptores ad vnum omnes Meroen inſulam dicunt, Aſtabora et Aſtapo fluuiis circumdatam. Adſtipularemur ſane illis, modo conſtaret, Aſtaboram (hod. Tazace) et Aſtapum verſus meridiem confluere, quod dubium facit D'ANVILLIVS *e*). Meroes inſulae deſcriptionem debemus DIODORO et STRABONI, quorum ille quidem a Meroe, Cambyſis matre, hic a ſorore Cambyſis nomen ei inditum eſſe memorat. Vterque *Meroen* clypei figuram referre, in longitudinem 3000, et in latitudinem 1000 ſtadiis patere affirmat; vtrique in ea ſodinae auri, argenti, ferri, aeris et varia pretioſorum lapidum genera dicuntur. Verum legenda ſunt integra homm ſcriptorum loca *f*).

§. LXXIV.

e) *De Automolis.*

Automoli, οἱ Αὐτομολοι, hoc eſt, *Tranſfugae*, Nili accolae, 56 dierum nauigatione ſupra Meroen vrbem habitantes. Vocantur ab HERODOTO Ἀσμαχ *a*), quae vox quid ſignificet idem aperit, dicens: *δυναται τουτο το ἐπος κατα την Ἑλληνων γλωσ-*

e) Vid. D'ANVILLE loco l.

f) DIODOR. lib. I. pag. 29. (p. 20. B. C.) STRABO lib. XVII. pag. 821. D. 822. A.

a) De origine huius vocis vide WESSELINGIVM ad HERODOTI lib. II. cap. 30.

Digitized by Google

γλωσσαν, οἱ ἐξ ἀριστερης χειρος παρισαμενοι βασιλει, *pollet hoc vocabulum in Graecorum lingua idem quod ab ſiniſtra manu regi adſiſtentes. Automoli* hi coloni erant Aegyptii, quorum olim 240,000 a Pſammticho, Aegyptiorum rege, in Aethiopiam transfegerant *b*), cuius transfugii cauſſa ex ipſo HERODOTO diſcenda. His ipſis *Automolis* Aethiopes, qui meridionalem Aethiopiae ſupra Aegyptum partem tenebant, Aegyptiacis moribus imbuti, adeoque manſuetiores facti ſunt *c*).

§. LXXV.

3. *De Aethiopibus Macrobiis.*

Aethiopia ab iis, qui Μακροβιοι, hoc eſt, *longaeui* appellantur, habitata, HERODOTO noſtro verſus meridiem ſita, iis vero, qui Arabiam felicem (hoc eſt, terram *Iemen*) incolunt, verſus meridiem, et ἐσχατη των οἰκεομενων *a*), *terrarum habitarum vltima*, nec non τα ἐσχατα της γης *b*), *extrema orbis terrarum* dicitur. Ipſos autem *Aethiopes*, hanc regionem frequentantes, Africam ad mare auſtrale incolere tradit HERODOTVS *c*); vnde apparet, *Aethiopes* hoſce loca Indico et Erythraeo mari finitima tenuiſſe.

Aethio-

b) *Automolos* tranſſugas eſſe ipſum nomen indicat. Nam αὐτομολειν eſt *tranſſugere.*

c) HERODOT. lib. II. cap. 30.

a) Lib. III. cap. 114.

b) Lib. III. cap. 25.

c) Lib. c. cap. 17. 114.

Digitized by Google

Aethiopum Macrobiorum terra elephantum, agreſtium arborum, ebeni et maxime auri copia abundabat *d*), quae quanta fuerit captiui aureis vinculis alligati doceant *e*). Aes e contrario rariſſimum eſſe apud *Aethiopes noſtros* ideoque in ſummo pretio haberi perhibetur *f*).

Incolas omnium hominum et maximo corpore praeditos *g*), et pulchritudine conſpicuos *h*) eſſe nec non inoffenſa vti valetudine, ita vt plerique ad centum viginti annos viuant, aliqui centeſimum et viceſimum annum ſuperent *i*), HERODOTVS auctor eſt. Haud immerito igitur μακροβιοι, *k*) *longaeui*, et ipſi Auctori noſtro dicuntur. — Praeterea meminit HERODOTVS *l*) *vrbis* horum *Aethiopum*

d) HERODOT. l. c.

e) Lib. III. cap. 23. Aurea haec Aethiopum vincula attigerunt plures. quos excitat THEODOR. CANTERVS Varr. Lect. lib. I. cap. 5.

f) HERODOT. l. c.

g) Aethiopem et Aethiopiſſam tertia ſua parte exſtantes ſupra ordinariam hominum ſtaturam vidit et menſus eſt PETRVS VALLENSIS, nobilis Romanus, addens, Aethiopes, quos in Aegypto vidit, vt plurimum proceros fuiſſe. — Adſcripſimus obſeruationem hanc auctoritate ISAACI VOSSII ad POMPON. MELAE lib. III. cap. 9. p. 299.

h) De pulchritudine, qua inter omnes homines *Aethiopes Macrobii* eminuiſſe HERODOTO dicuntur, videatur WESSELINGIVS ad HERODOT. lib. III. cap. 20.

i) HERODOT. lib. III. cap. 23.

k) HERODOT. l. l. cap. 17. 21. 23. 97. 114.

l) Lib. III. cap. 24.

Digitized by Google

thiopum, et *fontis prope eam*, cuius aqua ſic inualida fertur, vt leuiſſima quaeque peſſum eant in profundum *m*). At nec *vrbis* nec *fontis* nomen occurrit. Commemoratur et *locus* apud *Aethiopes longaeuos* apparatis epulis omni tempore refertus, quibus veſci volenti cuique licuit, ἡλίου τράπεζα *n*), *Solis menſa*, dictus, de qua menſa vide, quae narrat ipſe HERODOTVS lib. III. cap. 18.

Sub rege vixiſſe *Aethiopes Macrobios* e variis HERODOTI locis *o*) haud obſcure intelligitur *p*). Leges eorum, diuerſas ab aliorum hominum legibus, in vniuerſum tantum attigit HERODOTVS lib. III. cap. 20; ſubiicit tamen, Aethiopes eum regem conſtituere ſolitos, cuius corporis proceritati animus fortis et intrepidus reſponderet *q*).

§. LXXVI.

Vniuerſalis deſcriptio incolarum Libyae.

Libyam HERODOTI aetate a *quatuor* nationibus inhabitatam fuiſſe, ipſe nos docet lib. IV. cap. 197.

m) HERODOT. lib. III. cap. 23.

n) De hac *ſolis menſa* apud Aethiopes longaeuos vide ſcriptorum loca, quae laudat WESSELINGIVS ad HERODOTI lib. III. cap. 18.

o) Lib. III, cap. 17. 21. 22.

p) Quae de *Automolis*, Aethiopiae ſupra Aegyptum incolis, et de *Aethiopibus Macrobiis* memoriae prodidit HERODOTVS confudit POMPON. MELA lib. III. cap. 9.

q) Conf. VALKENARIVS ad HERODOTI lib. III. cap. 20.

Digitized by Google

197. Harum vero *duae indigenae* pronunciantur, *Libyes a*) et *Aethiopes b*), quorum illi regionem, quae versus septemtrionem spectat *c*), incolebant, hi eam, quae in meridiem vergit; *duae* autem *aduenae*, *Phoenices d*), et *Graeci*. *Phoenices* in Libya nullo alio loco diserte commemorat HERODOTVS, Carthaginienses tamen lib. III. cap. 19.

a) Hoc nomine antiquis scriptoribus proprie veniunt qui Libyae partem, quae maxime innotuit hoc est, interprete ipso HERODOTO IV. 197. regiones versus septemtrionem spectantes (Vid. et not. c.) incolebant. Qui cum primi Libyae populorum Graecis innotuerint, factum est, vt hi omnes Libyae incolas vno Libyum nomine saepissime comprehenderent.

b) Aethiopum nomine haud dubie intelligendi sunt omnes Libyae interioris incolae. STRABO lib. I. pag. 34. C. (Vid. §. III. pag. 15.) Atque hi sunt οἱ ἐκτὸς Λιβυης (Αἰθιοπες, qui) οὐλοτατον τριχωμα ἐχουσι παντων ἀνθρωπων, teste HERODOTO lib. VII. cap. 70. Omnes hos interioris Libyae populos significat forte SALLVSTIVS (Bello Iugurth. pag. 76.) *Gaetulorum* nomine. Eo enim teste *Africam initio habuere Gaetuli et Libyes*. Seriora autem tempora respexisse dicendus est eo loco, (pag. 78.) in quo post Gaetulos Aethiopes esse dicit. Primi hi Africae incolae *asperi*, inquit, *incultique; quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant.*

c) h. e. omnem oram maritimam, mari mediterraneo obuersam. HERODOT. lib. II. cap. 32.

d) Phoenicum vrbes sunt: Hippo, Adrimetum, Leptis, et plures in ora maritima. Vid SALLVST. *Bello Iugurth.* p. 77. 78.

Digitized by Google

liberos Phoenicum appellat. (Vid. §. LXIII.) Graeci autem in Libya saepius in vniuersum Auctori nostro memorati, et speciatim *Theraei*, *Peloponnesii*, *Cretenses*. (Conf. §. XXXVIII.)

DIODORVS SICVLVS *e*) Cyrenen) et Syrtes nec non interiorem Libyae regionem, illis finitimam *g*), quatuor Afrorum genera accolere et inhabitare affirmat, *Nasamonas*; *Auschisas*, *Marmaridas*, *Macas*. *Nasamones* regionem tenere dicuntur, quae in meridiem vergit; *Auschisae* versus occidentem habitare perhibentur; *Marmaridae* ab Aegypto vsque ad Cyrenen (hoc est, Cyrenaicam) incolere, et *Macae*, quos omnium populosissimos appellat DIODORVS, Syrtes accolere narrantur. Horum autem populorum *Marmaridas* diuersis, reliquos iisdem nominibus HERODOTVS insigniuit. At vero licet pro *Marmaridis* substitui facile possint *Adyrmachidae* et *Giligammae*, quos nominat HERODOTVS, nondum tamen expedita res est. Nihilo enim seciùs longe recedere DIODORVM hoc loco ab iis, quae HERODOTVS lib. IV. cap. 168. seqq. de gentibus, Libyae oram maritimam tenentibus ad posteros transmisit, quis non videat? Diuersa igitur tempora sedium mutationem attulisse apparet. Quaedam obscurioris notae gentes, HERODOTO memoratae, v. c. *Cabales* in media Auschisarum terra habitantes, (§. XLII.) DIODORI aetate extinctae, aliae MACIS finitimae

e) Lib. III. pag. 162. (pag. 127. D.)

f) h. e. Cyrenaicam. Cyrenaica autem h. e. latiori sensu accipienda, ita, vt ab Aegypto incipiat.

g) hoc est, Libyam vsque ad deserta.

Digitized by Google

timae, ab his ſubactae videntur, id quod ex epitheto a DIODORO ipſis tributo euinci poſſe videtur. Ab hoc enim ſcriptore omnium populoſiſſimi appellantur, quales ſane HERODOTI aeuo non erant. Vid. §. XLVII.

AGATHOCLIS aetate *h)* aeque ac antiquiori aeuo in quatuor hominum genera Africa diuiſa erat. Erant autem haec:

1. *Poeni* οἱ Φοινικες, qui Carthaginem inhabitabant;
2. *Libopoeni*, οἱ Λιβοφοινικες, qui multas vrbes maritimas (prope Carthaginenſem regionem) incolebant;
3. *Libyes*, maior et antiquiſſima Libyae incolarum pars *i)*;
4. *Nomades k)*, qui longos Libyae tractus vsque ad deſerta tenebant.

§. LXXVII.

Vniuerſalis deſcriptio naturalis ſoli Libyae conditionis.

Vniuerſalem naturalis ſoli Libyae conditionis deſcriptionem dedit HERODOTVS lib. IV. cap

h) De hac Africae AGATHOCLIS aetate diuiſione exponit DIODORVS SICVLVS lib. XX. pag. 791. (pag. 762. C.)

i) Incolebant ab Aegypto vsque ad Poenos.

k) Huic *Numidiae* et *Numidarum* nominis originem deducunt. Verum haec Etymologia merito dubia habetur, quoniam ex Graecorum lingua petita eſt.

Digitized by Google

198. Sed iterum hunc locum transſcribere nolumus. Vid. §. XLV. XLVII.

EPIMETRVM.

§. LXXVIII

De populo incertae ſedis.

Incertae ſedis populum dicimus eum, quem adiiſſe perhibetur Sataſpes, Teaſpis filius, Perſa ad circumnauigandam Libyam a Xerxe miſſus. Frequentaſſe eum Libyae litoris partem, quae eſt circa lineam aequinoctialem eo minus nunc quidem dubium eſt, quo certius perſuaſum nobis habemus, Sataſpen vento, quem aeſtivo tempore conſtanter a meridionali plaga flare ſcimus, impeditum eſſe, quo minus iter continuaret. Quanam enim alia re impediri potuerit, quominus iter inceptum continuaret, plane non apparet. Ipſa de populo iſto narratio exſtat apud HERODOTVM lib. IV. cap. 43.

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICVS.

A.

Adyrmachidae 119
Aeginetae in Aegypto 55
Aegypti diuiſio 51 - 53.
— fines 20 - 22.
— fluuius 31. ſeqq.
— inferioris deſcriptio 56. magnitudo 24. ſeqq.
— nomen 19.
— ſuperioris deſcriptio 89. ſeqq.
— vrbium, oppidorum et incolarum numerus 108.
Aegyptiacus Iſthmus 17.
Aegyptium mare 18.
Aegyptus Nili donum 23.
— num quarta orbis terrae pars Herodoto dicatur 15.
Aeoles in Aegypto 55.
Aethiopia, omnis Africa interior 15.
Aethiopiae fines — 173
Aethiopes Aſiatici 172.
— Macrobii ibid. 178.
— Orientales 173.
Ammon 152.
Ammonii 150.
Anthylla 60.
Anyſis 87.
Anyſius nomus 53. 87.
Aphrodiſias inſula 183.
Aphthites nomus 52. 87.
Apis 60.
Apollinis fons 128.
Arabicus ſinus 18.
Archandropolis 61.
Asbyſtae 129.
Aſmach. Vid. Antomoli
Atarbechis 66.
Athribis 80.
Athribites nomus 52.
Atlantes 158.
Atlas mons 158.
Atr ntes 156.
Augila 154.
Augilae ibid.
Auſchiſae 130.
Auſenſes 149.
Automoli 177.
Aziris 121.

B.

Barcaei 138. 139.
Barce 137.
Beatorum inſulae 99.
Bolbitinum Nili brachium 38. 41.
Bubaſtis 79.
Bubaſtites nomus 52. 79.
Bucolicum Nili brachium 38. 39 - 41
Buſiris 69 - 72.
Buſirites nomus 52. 69.
Buto 66.
Buto 83.
Buticus lacus 49.
Byzantes 160.

Caba-

Digitized by Google

C.

Cabales 131.
Canopicum Nili brachium 38. 40. 41.
Canobus 57.
Cares in Aegypto 54. 55.
Carthaginienſes 165.
Carthago 165.
Caſius mons 76.
Cataractes 107.
Cercaſorus 62.
Chemmis inſula 64.
— vrbs 100.
Chemmites nomus 52. 64. 88.
Chii in Aegypto 55.
Cinyps fluuius 143.
— regio 143.
Clazomenii in Aegypto 55.
Cnidii in Aegypto 55.
Collis Iouis Lycaei 128.
Columnae Herculis 166.
Cretenſes in Libya 128. 182.
Crocodilorum vrbs 96.
Crophi mons 106.
Cyraunis inſula 160. 62.
Cyre fons 129.
Cyrenaei 126.
Cyrenaica 125.
Cyrene 139.

D.

Daphnae Peluſiae 75.
Deltae deſcriptio 63. ſeqq.
Dores in Aegypto 55.

E.

Elbo inſula 65.
Τα Ἑλεα 65.
Elephantine 107.
Erythraei maris ſinus 18.
Erythraeum mare 18.
Erythrabolus 87.
Eueſperides 136.
Eueſperitae 136.

G.

Garamantes auſtrales 155.
— ſeptentrionales 140.
Giligammae 120.
Gindanes 144. 145.
Gratiarum collis 142.
Graeci in Libya — 181.
Gyzantes. Vid. Byzantes

H.

Halicarnaſſenſes in Aegypto 55.
Heliopolis 84.
Hellenium 55.
Heptanomidis deſcriptio 89. ſeqq.
Herculis Columnae 166.
— Fanum 58.
Hermopolis 97.
Heſperis 136. Vid. Eueſperides

I.

Ichthyophagi 107.
Inſulae Beatorum 99.
Iones in Aegypto 54. 55.
Ionum et Carum caſtra 79.
Iouis Lycaei collis 128.
Iraſa 135.
Iſthmus Aegyptiacus 17.

L.

Labyrinthus 95. 96.
Locus exiguus anonymus prope Sain vrbem 49.
Leucon 139.
Leucon Teichos 93.
Libyae tertia orbis antiqui pars 14.
— vltra Supercilium Saburoſum 159.

Digitized by Google

INDEX GEOGAPHICVS

Libyae interior 170.
Libyae diuiſio noſtra aetate 168.
— nominis variae ſignificationes 15.
— Fines 17.
— incolae 180.
Libyci ſoli deſcriptio 183.
Lotophagi 145.
Lycaei louis collis 128.

M.

Macae 142.
Marchlyes 145. 146.
Macrobii. Vid. Aethiopes Macrobii
Mare Aegyptium 18.
— rubrum ſ. erythraeum 18
— ſeptentrionale ſ. mediterraneum 17.
Marea 58 - 60.
Maxyes 159.
Memphis 89 - 92.
Mendes 73.
Mendeſium Nili brachium 38. 42.
Mendeſius nomus 52. 72.
Menelai portus 122.
Merae vrbs 176.
Mileſii in Aegypto 56.
Mitylenaei in Aegypto 55.
Moeridis lacus 47. 48. 94.
Momemphis 61.
Mophi mons 106.
Myecphoris 80.
Myecphorites nomus 53. 80

N.

Naſamones 131.
Natho nomus 52. 72.
Naucratis 55. 68.
Neapolis 101.
Niger - - 170.
Nigrum accolens populus 170.
Nilus 31. ſeqq.
Nyſa. 174.

O.

Oaſis 98. 99.
Oceanus Atlanticus 18.
— Auſtralis 18.
Onuphis 68.
Onuphites nomus 53. 68.

P.

Papremis 88.
Papremites nomus 52. 88.
Patumus 81.
Peloponneſii in Libya 128. 182.
Peluſiacum Nili brachium 38. 42.
Peluſium 77.
Perſei Specula 67.
Pharbaethites nomus 53.
Phaſelitae in Aegypto 55.
Phatniticum Nili brachium 38. 39. 41.
Phla inſula 148.
Phocenſes in Aegypto 55.
Phoenices in Aegypto 56. 92
— in Libya 181.
Platea inſula 123.
Plintinetis ſimus 56.
Pleunus portus 120.
Populus incertae ſedis 184.
Proſopitis inſula et nomus 52. 62.
Pſammius mons 93.
Pſylli 133.
Pygmaei 171.
Pyramides 94.

R.

Rhodii in Aegypto 55.
Rubrum mare 18.

S.

Digitized by Google

S.

Sais 68.
Saites nomus 52.
Saiticum Nili brachium 38. 42.
Samii in Aegypto 56.
Sebennytes nomus 52. 69.
Sebennyticum Nili brachium 38. 41.
Sebennytus 69.
Serbonis lacus 49. 76.
Silphio ferax regio 124.
Sinus Arabicus 18.
Siuph. 69.
Solis fons 183.
Solis promontorium 167
Specula Perſei 67.
Στρατοπεδα 55. 79.
Syene 105.
Syrtes 142.

T.

Tachompſo inſula 107. et 176.
Tanis 74.
Tanites nomus 52. 74.
Taniticum Nili brachium 38. 42.
Tarichaeae (Canebicae) 58.
— Peluſiacae 78.
Tauchira 135.
Tei in Aegypto 55.
Thebae 102 - 105.
Thebaicus nomus 52. 88.
Thebaidis deſcriptio 100. ſeqq.
Theraei in Lybia 121. 128. 182.
Theſtis fons 128.
Thmuis 74.
Thmuites nomus 53- 74.
Tractus Libyae belluoſus 149
— — maritimus 118. ſeqq.
— — tumuloſus et ſabuloſus 150.
Triton fluuius 146.
Tritonis lacus 148.
Troglodytae 173.
Tyrii in Aegypto 56. 93.
Tyriorum caſtra 56. 93.

V.

Veneri hoſpitae ſacer locus 92.

Z.

Zaueces 160.

ADDEN-

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag.	8.	lin.	2.	multrumpue *lege* multumque
—	9.	—	17.	vsque ad columnas autem *lege*: vsque ad columnas Herculis nihil habet quod referat, extra columnas autem-
—	—	—	21.	a aeque *lege* eaeque
—	—	—	32.	ipſis ſingulis ſectionibus *lege*, ipſi libello
—	13.	—	7.	ipſo *lege* ipſa
—	16.	—	vlt.	PRO- *lege* GEO.
—	80.	—	18.	vrbs memorata *lege* vrbs non memorata
—	81.	—	9.	am *lege* an
—	—	—	12.	teſte, foſſa *lege* teſte, quam praeterfluit foſſa
—	—	—	15.	intuito *lege* intuitu
—	83.	—	11.	illum *lege* illam interpretationem
—	84.	—	9.	Hiſtoriorum *lege* Hiſtoricorum.
—	86.	—	28.	oppoſitam *lege* appoſitam.
—	94.	—	11.	ſint — ſunt
—	—	—	21.	Laby. — luxta
—	95.	lin	1.	*poſt.* Arſinoem *adde* de qua mox (pag. 96) expoſituri ſumus,
—	97.	—	10.	ſit *lege* ſit
—	110.	—	23.	meridialem *lege* meridionalem.
—	112.	—	4.	ſtue *lege* ſiue
—	—	—	12.	*poſt.* Romanis *adde* conuenire
—	—	—	13.	eſtis *lege* eſt, 15.
—	—	—	17.	65. *lege* ad
—	—	—	18.	menſara *lege* menſura
—	113.	—	9.	ſit *lege* ſit
—	—	—	10.	HERO - *lege* HERODOT.
—	115.	—	8.	Riki *lege* Kiki
—	—	—	9.	aleo *lege* oleo
pag	121.	lin	7.	*deleatur punctum.*
—	—	—	8.	quam *lege* quo
—	—	—	9.	iudicaſſe *lege* indicaſſe
—	—	—	17.	ore *lege* orae.
—	122.	—	22.	*deleatur punctum poſterius.*
—	124.	—	9.	dico *lege* dicimus
—	125.	—	18.	Cyrenaicum *lege* Cyrenaicam
—	126.	—	14.	conſtitunt *lege* conſtituunt.
—	127.	—	6.	iuducunt — inducunt
—	—	—	7.	attigemus — attingemus

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA.

— 131. — 9. Iſyllos *lege* Pſyllos
— 132. — 21. *poſt.* addunt *deleatur punctum*
— 135. — 3. *poſt* diſertis *adde* verbis
— — — 27. *ante vocem* STRABONE *lege* a
— 137. — 12. ſitae *lege* iſtae
— 140. — 15. vocatur *lege* vocantur
— 143. — 18. Κιβυων *lege* Λιβυων
— 164. 13. *lege* habitantibus, colligenti
— -4. — Subcribere
— 21. — Cercinna
— 170. -1. — Geographiae
— — - — Herodoti opere
— 173. -7. — laudantur
— — 15. — Septentrionem

Digitized by Google

Digitized by Google